FL-11

FA-9

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/devitavictorinif00pren

N°2.

DE VITA VICTORINI FELTRENSIS DIALOGUS FRANCISCI PRENDILAQUÆ MANTUANI EX CODICE VATICANO.

Annotationes adjecit

JACOBUS MORELLIUS.

PATAVII CIↄIↄCCLXXIIII.

Typis Seminarii

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU.

re in commune velitis. Feceritis mihi quidem ſatis, ſi non ſecus ac Prendilaquam in Victorinum magiſtrum ſuum, gratum me piumque in veſtrum Seminarium exiſtimabitis. Valete.

EX-

EXCELLENTI
AC MAGNANIMO PRINCIPI
FEDERICO URBINI
DUCI
FRANCISCUS PRENDILAQUA
CELSITUDINI SUÆ DICATISSIMUS
Plurimum ſe commendat.

Victorini Feltrenſis, optimi ac ſapientiſſimi præceptoris noſtri, Vitam ad tuam Excellentiam mitto, illuſtris ac magnanime Princeps; rem omnino pretioſam ac tua ſublimitate dignam. Quod ſi fortaſſe arroganter dictum quiſquam exiſtimaverit, non ad me convertat animum, qui nec eouſque impudens ſum, ut tantum

mihi nomen aucupari falſo cupiam ; verum ad præclaras ipſius Victorini laudes, quæ tantæ per ſe ipſæ ſunt, ut omni auro digniores ac præſtantiores nulla cum arrogantia dici poſſint. Quarum ego magnitudinem ac gloriam nec extenuare verbis poſſum, quum lucidiores ipſo ſole ſint, nec pro mea erga illum præceptorem pietate debeo, nec pro tua injuria facere audeo. Quid enim levius dici poterit, quam hunc apud te Philoſophum non ornare, immo, ſi fieri poſſit, non in cœlum ferre, quem tu tantus Princeps in parentis ſemper loco coluiſti, nec quidem ſine tua gloria & laude? Nihil enim magno atque excellenti viro dignius, quam accepta in tenerioribus annis beneficia non ſolum non obliviſci, immo, quod tu facere ſoles, ſumma etiam cum voluptate recordari. Quænam igitur mea inſolentia eſt, eum virum magnificare, qui & laudari plenis labiis poteſt, & non laudari ſine mea culpa non poteſt? Dabis igitur hanc, ut opinor, clementiſſime Princeps, veniam, ut hoc tam præclarum muneris nomen pium magis ſit, quam cum temeritate atque inſolentia ulla ex parte conjunctum: quod ego tuæ, ut ita dicam,

divi-

divinitati, conſecrandum optime, ut mihi videor, putavi. Solent enim qui ornari munera ſua cupiunt, ea magnis ac præſtantibus viris dicare, quorum auctoritate ac ſplendore illuſtrari facta noſtra gloriamur; tum ad eos mittere, a quibus munera ipſa non aliena videantur. Quid eſt igitur tuo fulgore clarius, aut quid te magis tantum Principem decet, quam hunc, quicumque eſt, præceptorem tuum benigne atque humaniter amplecti atque oſculari? Aut quis juſtior illi locus parari potuit, quam in tuo, ut dicitur, gremio ſenem optime de te meritum quieſcere, immo etiam tecum ex te vivere, qui æterna rerum geſtarum gloria vives; quæ tametſi tota tua eſt, propriaque abs te virtute parta; ejus tamen agnoſcendæ atque amplectendæ ſocium ac ducem Victorinum habuiſti. Hic te optimis & continentiſſimis moribus ac litteris ornavit; hic te ad hanc ipſam gloriam currentem puerum ſuis ſtudiis incitavit; hic tibi ad eam, qua nunc ſolus flores, amplitudinem atque excellentiam, quandam quaſi januam patefecit atque oſtendit. At tu tanto monitore confirmatus, unum in terris numen, atque unicum bellici fulgo-

ris

ris decus inter homines verſaris ; unus in arma potens ; unus in bello Cæſar , qui regere intrepidas acies , quique ſævi fulmina Martis indomita vibrare manu didiciſti ; unus qui ſubitos extinguere motus bellorum , & magni Ducis ſigna flectere potuiſti ; unus fortunæ nepos (hunc enim , quo parente libentiſſime gloriaris , feliciſſimum Liguriæ Ducem , filium appello) unus dignitate , opibus , auctoritate , potentia ita præclarus , ut inter florentiſſimos Italorum Principes glorioſiſſimus tui nominis ſplendor habeatur . Ea vero litterarum ac ſtudiorum omnium doctrina , ut unus inter ceteros ſapere videaris : urbanitate vero , modeſtia , liberalitate , fide , magnitudine animi principem omnium appellare non dubitabo . Accipe igitur , inuictiſſime Dux , Victorinum tuum ea , qua cetera ſoles , humanitate ac clementia ; qui etſi tuo candore indignus , nullis præſertim eloquentiæ veſtibus ornatus , culpam in me , non in eum , conferre debes , nec qualis a me factus ſit , ſed qualis ipſe fuerit , cogitare . Quod ad me attinet , tua nos modeſtia conſolatur , qui nihil parvum , quum acceperis ; nihil , quum dederis , magnum exiſtimare

mare

mare ſoles : quo certe nulla laus eſt aut in tanta tua gloria excellentior , aut Victorini tui diſcipulo dignior . Atque hunc præceptorem noſtrum quum pro ſuis immortalibus in me beneficiis, ac pro tanti viri ſanctitate ornare totis viribus inſtituiſſem ; ne quid ad amplitudinem ejus extollendam nobis deeſſet , graviſſimos atque ampliſſimos viros colloquentes inter ſe quaſi præſentes introduxi ; Alexandrum Gonzagienſem , Principem tibi neceſſitudine ac ſanguine conjunctum , cujus acerbiſſimo interitu præclarum atque illuſtre Gonzagienſium nomen inſigne nobis vulnus accepiſſe videtur ; erat enim in omni ſanctitate ac ſapientia excellentiſſimus ; Raymundum Lupum , Juriſconſultum probatiſſimum , atque in ſingulis prope diſciplinis, tum integritate vitæ ac moribus clariſſimum ; ac Franciſcum Calcagninum , virum equeſtris ordinis primarium , ſumma dignitate , virtute , elegantia præditum : quorum omnium auctoritatem ſimul & gratiam magnum huic pio labori noſtro lumen allaturam putavimus . Igitur propoſitis ab his quibuſdam de dolore ac de eloquentia diſputatiunculis ad ipſum tandem Victorinum

nos

nos ducentibus, eos jam diſputantes audiamus. Prima enim eſt inter ipſos controverſia, bonus ne ſit dolor, altera communicandus ne cum amicis ſit, poſtrema laudandos ne cum eloquentia putemus Philoſophos ac magnos viros. Quibus tandem pro cujuſque ſententia oppugnatis, ac defenſis, præclaras Victorini laudes, totamque accipiemus Vitam. Vale, Ductor inviĉtiſſime, & me totum cum hoc libello tuæ ſublimitati obſequentiſſimum benignus ſuſcipe.

FRAN-

FRANCISCI PRENDILAQUÆ (1) DIALOGUS.

RAYM. Salvus felixque ſis, o Alexander; nulli enim mortalium deberi hoc rectius puto, quam tibi, quem & ſapientiſſimum Principem, & moderatiſſimum ſemper omnium cognovimus.

ALEX. Rem omnium difficillimam, o Raymunde, optare nobis videris: quo enim pacto ſalvi feliceſque eſſe poſſumus in tanta rerum acerbitate ac miſeria? Nam quum ipſe mecum conſidero infeliciſſimas noſtrorum temporum calamitates, varioſque civitatis noſtræ caſus, quibus miſere affligimur ac dilaceramur, ſoleo vehementer animo commoveri, & aliquando noſtram dolere fortunam, qui vivimus.

RAYM. Novum eſt quod narras!

ALEX. Immo malum.

RAYM.

(1) De Franciſco Prendilaqua Mantuano hoc unum litteris proditum eſt, eum Victorini Vitam ſcripſiſſe; quam in Bibliotheca Regia Pariſienſi ſervari, a Labbæo, Montfauconio, & aliis accepimus; notis autem a Laurentio Cocchio Florentino illuſtratam fuiſſe olim apud Petrum Valeſium pro utriuſque Siciliæ Rege rei militaris Quæſtorem, ex Magliabechii V. Cl. Schedis, Julius Niger in libro de Scriptoribus Florentinis indicavit. Is Victorino uſus eſt præceptore, inter diſcipulos non ſane poſtremus, & Gonzagiis Principibus acceptiſſimus. Quonam fuerit ingenio, quave doctrina, hic Dialogus ipſe demonſtrat, rerum & verborum elegantia non minus excellens, ac alia ejus opuſcula, quæ manuſcripta in Bibliotheca Veneta Clericorum Regularium Somaſchenſium offendi; Oratio nempe conſolatoria ad Barbaram e Brandeburgi Principibus Ludovico Gonzagio nuptam, de obitu Dorotheæ filiæ, binæque ad Raymundum Lupum Epiſtolæ familiares.

Raym. Quod tandem mali genus?

Alex. Dolor.

Raym. At qualis dolor?

Alex. Peſſimus: nam quibus rebus dici non malus poteſt?

Raym. Multis: incredibile namque memoratu eſt quam ſæpe meliores atque alacriores nos efficiat dolor.

Alex. Cupio, quid hoc monſtri ſit, audire, ut ex peſſimis atque amariſſimis optima & ſuavia percipiamus.

Raym. Audies non monſtra quidem, ſed huic tuo mœrori fortaſſe non inutilia.

Alex. Loquere tandem, obſecro.

Raym. Fiet, ſi abs te prius impetro, ut ſermonem de his rebus inſtituamus non dialecticorum more, ſingula, ut ita dicam, verba limantes & quaſi ponderantes; verum quæ in communes hominum ſenſus cadere ſolent, diſcutiamus liberiore quodam orationis genere, non tam philoſophandi gratia, quam te quoquomodo, ſive arte, ſive ratione, ad hilaritatem ac lætitiam revocandi: neque enim ad te Socrates, aut diſputator venio, ſed amicus, & hac, quæcumque eſt, animi tui moleſtia vehementer commotus.

Alex. Placet.

Raym. Bonum igitur dolorem eſſe ſuſpicamur. Dicimus enim & bonum artificem, & bonum medicum, & bonum imperatorem, quos hoc gravi nomine dignos putamus, quia ex ſe bona facere videntur. Et hic bonos homines aliquando facit; qui longiore quodam tædio doloris ad bonos ſæpe mores convertuntur. Dicimus eodem jure malam lætitiam, atque, ut Virgilii verbo utar, *mala gaudia mentis*, a quibus mala nobis oriuntur. Multa etiam impedit vitia; atque, ut cetera omittam, luxum, libidinem, arrogantiam, inſolentiam, quæ nulla magis re, quam calamitate, caſtigantur. Namque hæc præclara in homine vitia etſi afflictus animus non ſemper

per negligit; deſinit tamen in illa doloris acerbitate ejuſmodi cupiditatibus agitari. At quæ diu cupere deſivimus, neſcio quo pacto minus poſſe videntur. Equidem audivi multos, quum ſe aliquo cibi genere diutius abſtinuiſſent, idipſum poſtea ita penitus abhorruiſſe, ut quod voluntas prius effecerat, diuturnior uſus confirmaret atque in naturam verteret. Sunt etiam qui dolorem opinantur quoddam quaſi inſtrumentum augendæ atque ornandæ felicitatis, quæ hoc uno clarior atque amplior & admirabilior fiat, immo etiam amaritudine illa ſua poſtea ſuavior. Quid enim dulcius, quam præterita mala recordari? Quis non putet M. Regulum illuſtriorem in tormentis fuiſſe, quam Craſſum in divitiis? & noſtros Martyres feliciores in morte, quam ante in multis maximiſque deliciis? Quid Lucius Torquatus? Quid Brutus? quos domeſticæ calamitates tantis laudibus extulerunt? Equidem hoc audeo dicere, Scipionem Africanum exilio magis ſuo, quam devicta Carthagine floruiſſe, quum injuſtas civium ſuorum injurias in tanto tamque juſto dolore patientiſſime toleraret. Iſte vero dolor quid aliud eſt, niſi veſtis aliqua, quæ patientiam illam ornet ac veſtiat? At veſtem iſtam malam quis putaverit? Decii vero glorioſam, ut tum ætas patiebatur, mortem quibus tandem victoriis non anteponemus? Illud etiam tritum proverbium eſt: Fugat dolorem dolor, optimum in malis noſtris remedium. Quod ſi ita eſt, ut aliquam doloris partem dolor auferat, in hoc, quicumque ipſe eſt, non poteſt tanquam bonus non laudari. At ſi non aufert, & hoc tantum efficit, ut minor ille acceſſione majoris obſcuretur, minuſve ſenſu percipiatur, neque in hoc damnandus tanquam malus videtur; & hoc potius illi debebimus, ut quum [dolores duo ſint, alterum tantum ſuſtineamus, ab altero ſaltem non gravemur.

Alex. Ego quidem, o Raymunde, exiſtimo ut do-

dolore potius dolor augeatur. Illud enim non minus tritum in vulgo eſt, cetera languere membra, quum caput dolet; quaſi ab una corporis parte ad alias transferatur. Quod ſi, ut dicis, bonum eſt dolores extingui ac fugari, ſequitur ut non boni ipſi ſint. Nam quæ mala exiſtimantur, naturali quodam odio vitamus: bona ſemper appetimus quia bona ſunt, beneque de his ſemper ſperatur. Quid enim eſt, quo libentius, quam dolore, careamus?

Raym. Bona igitur putas unde bona expectantur, mala debilitantur? ut medicina ad curandos languores inventa, ut veſtis ad frigora propulſanda, ut cibus ad corpora ſuſtentanda.

Alex. Sane iſta, quæ dicis, quia horum finis eſt ut benefaciant hominibus, inter bona numerare audeo.

Raym. Gaudeamus: nam ſi hoc affirmas, concedi etiam abs te oportet bonum eſſe dolorem. Quid enim aliud eſſe illius finem putas, quam ut bonum nobis afferat, ideſt jucunditatem, quæ poſt illum certa eſt? Nec aliter eſſe poteſt; nemo enim non gaudet mala effugiſſe.

Alex. Quid ſi dolor ſemper eſt; ſequetur ne iſta, quam tu dicis, voluptas?

Raym. Minime; ſed non ſemper eſſe poteſt: nihil perpetuum in homine præter animum, certuſque dies humana terminat.

Alex. At non hoc agit dolor, non hoc quærit, non hoc efficit ut juvet; verum ut noceat, ut affligat, ut perdat.

Raym. Immo hoc ipſum agere videtur ut proſit: fruſtra enim aliud natura omnium dux ſapientiſſima efficere conaretur, quum neceſſaria ſit, ut paullo ante dicebamus, poſt calamitatem delectatio. Quæ ſi ita eſſe putas, quis non jure quodam ſuſpicari audebit naſci a dolore voluptatem? Quid dulcius homini, quam naufragium evaſiſſe? quam ab hoſtibus captum fugiſſe? quam venientem feram vitaſſe? At niſi dolor metuſve ejus periculi præceſſiſſet, voluptate

ptate quidem tanta caruiſſes: atque ille Platonis Socrates niſi crus offenſum ex vinculis habuiſſet, nunquam fricandi vulneris delectatio illa ſubſecuta eſſet. Videſne duos ſibi repugnantes affectus quandam tamen concordiam, & quaſi legem inter ſe conſervare, ut alterum ex altero effici quodammodo videatur, quaſi nulla ſit, niſi ex dolore, voluptas, neque dolor, niſi ex amiſſa voluptate? Neque abſurdum omnino fit, ut ex contrario contrarium generetur. Nam, quod idem ipſe Socrates multis rationibus oſtendere conatus eſt, mortuum ex eo tantum fit quod vivit; & dormire maxime appetimus, quia multum eſt a nobis vigilatum; neque aliunde, quam ex vigilia, ſomnus, aut mortuum, præterquam ex vivo, fieri poteſt. Eſſe & illud ſimile videtur, quod uſu facile percipitur. Faber enim ferrarius ſuſcitatum prius vento ignem aſperſa etiam aqua incitat, & confirmat. Balnei quoque magiſter ferventibus ſaxis ad conſervandum calorem appoſitis frigidam infundit aquam, quæ calorem ipſum inflammare vehementius atque impellere videtur. Quid hoc aliud eſt, niſi calidum a frigido, ſi non omnino generari, corroborari tamen atque augeri?

Alex. Ego vero cenſeo iſtam, quam tu dicis, delectationem non omnino a dolore proficiſci, ſed ab ipſa doloris carentia.

Raym. Minime. Quæro enim ex te prius ne eſſe id oporteat, unde aliud fiat, quam id ipſum, quod fieri opus eſt? veluti qui conflare vas ex auro cupit, aurum prius habeat neceſſe eſt, unde id efficiat.

Alex. Fateor.

Raym. Neque hoc negabis, priuſquam omnino dolor abeat, ſola ejus amittendi ſpe jucunditatem quandam nobis naſci.

Alex. Sequere.

Raym. Unde igitur delectatio iſta fiet; an ex

ea, quæ nondum eſt, doloris vacuitate, an ex ipſo potius dolore?

Alex. Video quid pares; & quum iſta mecum conſidero, quæ dixiſti, ita me tuis iſtis rationibus implicitum atque involutum reddis, ut reſiſtere auctoritati tuæ nullo pacto audeam: quanquam illud certo ſcio, quod me maxime in mea confirmat ſententia, in iis, quæ contraria ſunt, nullam ſocietatem nullumve conſenſum eſſe. Qui enim fieri poteſt, ut ignis frigeat, ut frigus caleat? Recte igitur, ut arbitror, Epicurus, ceterique ejus diſciplinæ profeſſores ſapientiſſimi dolorem ipſum caput ac fontem malorum eſſe voluerunt; eam vero, quæ contraria dicitur, voluptatem, ſive, ut Democrito placet, tranquillitatem animi, dominam conſervatricemque bonorum omnium. Eſt autem iſta, de qua loquimur, voluptas, non quemadmodum vulgus judicat, earum, quas appetimus, rerum delectatio, atque uſus; ſed otium quoddam innocentis ac bene inſtituti animi, quo, dolore ac moleſtia carentes, gaudioſam agimus vitam, ſecuritatis ac lætitiæ pleni: naſci enim ex gaudio & jucunditate mentis videtur, qua læti fruimur. At quis lætari jure poteſt, niſi pacatus atque hilaris conſcientia benefactorum animus? Nam qui malis cupiditatibus afficitur, ſollicitus atque anxius ſemper eſt aut deſiderio peccandi, aut commiſſæ culpæ tædio. Igitur ſine moleſtia, ſine ſollicitudine, ſine anxietate, ſine dolore vivere optimum vitæ genus quis negabit? Nam ipſa in tranquillitate liberiores ſumus, eaque rectius agimus, quæ viros decent, nullo moleſtiarum pondere gravati: quod etiam Legibus cautum optime videtur, ut ſedentes judicia faciamus, ideſt quieti & omni motu carentes: ajunt enim meditationes animorum fieri tum ſapientiores. Neque ſane intelligo quonam pacto circumventus calamitate animus aut contemplari quicquam recte poſſit, aut præclarum aliquid face-

facere, in his præſertim rebus, quæ totum hominem petere videntur, qualia ſunt bonarum artium ſtudia; quum ſæpe levior quidam motus ab omni cogitatione nos avertat. Quid ſi gravior ſuperveniet morbus? ſi præſentium malorum metus? ſi præteritorum recordatio nos affliget? Nam quæ Stoici volunt, dura nimium, & ab omni humanitate aliena puto. Jubent enim virum fortem haud doloribus frangi oportere, ſed in ipſa lætari calamitate, neque moveri uſquam, nec perturbari. Quis hoc facere, niſi divinus, poterit? Igitur qui filium habebit in vinculis cariſſimum atque optimum, de cujus vita indigne ac periculoſe agatur; qui in exilium mitti, oculos evelli, manus truncari videbit, annon movebitur, non iraſcetur, non indignabitur, & quaſi ſtipes quidam tacebit? Lapides iſti, o Raymunde, non homines putandi ſunt.

Raym. Vereor ne de iſta corporis voluptate nimium multa dicamus; nam de hac ipſa re trita diſputatio eſt, jamque maximis Philoſophorum clamoribus expulſa. In qua ſi boni quicquam eſſe poteſt, ut Epicurus voluit, quanti id æſtimandum putas, quod commune cum brutis eſt, quæ delectatione maxima fruuntur coeundo, bibendo, quieſcendo? Si doloribus carere beatitudo eſſet, ut Hieronymo Philoſopho placuit, quam præclaram Philoſophiam diceremus, a qua & arbores & lapides beati fiant, nihil dolentes, nihil patientes? Si cum ſenſu quodam ſuavi, ut Ariſtippus voluit, conjungenda delectatio eſt; in hoc ipſo erimus, ut cum beſtiis communicemus. Si cum ſenſu & intelligentia percipiendam putas; ut in homine ſolo eſſe poſſit; caſu tamen & fortuito beati erimus. Nam quæ ad fruendam delectationem neceſſaria ſunt, ut eſt bona valetudo, vires, divitiæ, dignitates, magnifici apparatus, pretioſa convivia, ceteraque voluptatum irritamenta, non tam boni cives habent, quam fortunati. Si vero bonum eſſe di-

B 2 cis

cis honeſta voluptate frui, ut Dynomachus putavit; aut ſi voluptas ipſa ex gaudio quodam mentis naſcitur, quod in homine bene inſtituto & omni ſcelere vacuo ſolum accidit, ut tu recte mea ſententia initio ſermonis dicere videbaris; non te impediam quominus præclaro voluptatis nomine glorieris. Sed ad eam conſequendam non ſunt iſta, quæ dixiſti, metuenda; filius in vincula conjectus, damnatus, excruciatus, immo etiam in mare projectus. Non enim poteſt honeſta iſta delectatio, niſi cum honeſtate percipi; honeſtum vero nihil, niſi cum virtute, quæ propria fortis animi eſt, nec ab eo ſeparari poteſt. Sequitur igitur virilem animum, qui honeſtate nunquam caret, etiam voluptate nunquam carere. Illud etiam per ſe neceſſarium eſt, ut vir fortis neque dolore frangi, nec adverſis rebus impediri ab uſu virtutis poſſit. Ergo & in calamitate recte contemplari poteris, & ea recte agere, quæ viros decent. Sed in hoc maxime peccamus, quod ea ducimus amara, quæ non ſunt, aut ea noſtro vitio facimus amara. Dolet aliquis optata carere dignitate: optare deſinat, & dolere deſinet. Torquent te hoſtes ut patriam lædas: cogita quanta in conſervatis civibus gloria erit, & tormento tuo gaudebis. Sed jam iſta magnis Philoſophis relinquamus. Nunc mœroris tui cauſſam agamus. Quid eſt ergo, quo tam graviter doleas, tamque ingemiſcas? Ego, ut ſæpe ſolitus ſum, & ſalutandi tui gratia veneram, atque ut noſtro poſtea more confabularemur. Sed quum te triſtem lacrymabundumque videam, quem antea hilaritatis plenum offendere ſolebam, etſi pœnitere me conſilii mei cœpit, qui tam importune profectus ſum; tamen quum te urbaniſſimum ac patientiſſimum certo ſciam, quæſo obteſtorque mihi ut ignoſcas, idque amicitiæ noſtræ tribuas, ut ſine tua moleſtia loqui liceat.

Alex. Licet quantum lubet; nam quo pacto moleſtus

leſtus eſſe potes, quem & amiciſſimum mihi, & cariſſimum omnium jure affirmare poſſum; nec quiſquam eſt mortalium, qui me oratione magis flectere aut vehementius delectare valeat, propter ſummam & dicendi auctoritatem, & copiam; quem, ut Cicero noſter dicere ſolitus, & juriſperitorum eloquentiſſimum, & eloquentium juriſperitiſſimum ſummo tuo merito ſemper judicavi?

Raym. Gaudeo ſane, quando ita tibi gratum eſſe ſentio, abs te omnium ſapientiſſimo ac moderatiſſimo tanti fieri. At de me ipſo meum erit judicium. Nam, ſi nolim mihi ipſe blandiri, nemo rectius judicabit; quum poſſim ſolus me introſpicere qualis totus ſim, omni velamento detracto. Sed per noſtram benevolentiam, qua nihil ſanctius eſſe debet, quid hæc tanta rerum deſperatio? quid pallens vultus? quid lacrymæ iſtæ ſibi poſtulant? quid tandem novi eſt? Nam te ſi quid torquet ac cruciat, commune id mihi tecum pro jure noſtræ amicitiæ facere debes; aut ſi hoc negas, pergo te in jus vocare, atque judicio ut ſiſtas, fidejuſſorem petere.

Alex. Nihil ſane novi.

Raym. Beaſti me hoc uno verbo; nam id ipſum ſuſpicabar maxime. Sed perge.

Alex. Moleſta mihi veterum temporum cogitatio eſt, nihilque ea recordatione aut miſerius, aut infelicius.

Raym. Quid narras? An ſi ea modo pati cogereris, quorum memoria cruciaris, non moleſtiora putarentur?

Alex. Minime; neque mors ipſa gravior.

Raym. Pace tua dictum velim, o Alexander, ſi quid fortaſſe nimis: lubet enim apud te loqui libere, qui pernicioſam aſſentatorum peſtem fugere ſoles, & hoc purum ac ſimplex dicendi genus laudare.

Alex. Recte: nihil quippe eſt quod magis bonum

virum deceat, qualem te eſſe certo ſcio, aut ingenio meo conveniat magis.

Raym. Communem vulgi errorem ſequi videris, quod quum aliquo mali genere afficitur, id eſſe omnium teterrimum ac fœdiſſimum judicat. Nam ſurdus in ſurditate, & valetudinarius in adverſa valetudine ſummam infelicitatem ponit. At ſi nova ſuperveniet peſtis, quæ tamen levior fuerit, haud ſecus priore infeliciorem exiſtimabit; non quia ita ſit; ſed ea magis ſentimus, magiſve dolemus, quæ in conſpectu noſtro ſunt, quaſi ceterorum obliti propter urgentem calamitatem: tantique apud nos ea opinio eſt, ut illa maxime omnium appetamus, quæ præſentibus incommodis oppoſita videntur; veluti ſi claudum interrogas quid ille in primis cupiat, velocitatem ſine dubio reſpondebit, & cæcus, oculorum lumen, neque divitias, aut dignitates pluris, quam ea ipſa, quiſquam illorum faciet. At qui pauper eſt malit utroque pede claudicare, quam divitiis non abunde uti. Tu vero quum recordatione neſcio qua præteritorum temporum commovearis, hilaritatem ac lætitiam, vel, ut tu appellas, voluptatem, ſummum bonum cum Epicuro tuo putas; quem, ſi paullo mœror iſte evanuerit, mollem fortaſſe judicabis, & quæ dura nunc appellas Stoicorum præcepta, ſola eſſe, quæ viro digna ſunt. Nihil enim homini, ut ita dicam, maſculo ac vere forti amarum eſſe poteſt, ſi idem honeſtum ac rectum ſit; & habitus ipſe virtutis dignior, ſi quid grande, magnificum, difficile, periculoſum agimus, non in umbra, ſed in ipſo pulvere & ſole: generoſi quippe animi eſt laborioſe vivere. Quid enim magni eſſe putas in otio verſari, & ea, quam tu laudas, tranquillitate frui? Virtus eſt per medios ignes, per mille pericula intactos atque indomitos evadere. Quid ergo aliud dici poteſt, ut jam ad priora veniamus, tam diverſa, tamque inter ſe contraria, & alia alio tempore appeti,

peti, niſi quod ſuo quiſque arbitratu vivit, atque optat, depoſita ratione? Nemo tamen eſt æquus ſui vindex. Molles nimium atque imbecilli ſumus, nimiumque nobis indulgemus. Hoc ipſum tibi accidere fortaſſe in præſentiarum videtur, qui tametſi omnium ſapientiſſimus ſis, mollius tamen huic vel dolori, vel moleſtiæ, ſive, ut rectius dicam, cogitationi reſiſtere videris, quam aut te deceat, aut oporteat. Nam ſi dolere ullo pacto licuit, quum ea tibi acciderunt, quæ narras, dolendum fuit; ne te miſerum ſemper tua culpa facias, atque ut aliquis aliquando dolori finis imponatur. Cogita etiam obſecro quam indignum tua ſapientia videtur, ut ſolus doleas; creſcit enim occultus per ſe dolor, & ſuomet furore impellitur atque inflatur; quo nihil hominum generi perniciofum magis eſſe poteſt. At ſi illum evomueris palamque explicaveris, tanquam e carcere miſſus vagari gaudebit; neque magno labore circumventus debilitatuſque frangi poteſt; fitque communicatione ipſa levior. Tibi & domeſticorum frequens copia eſt, & amici plurimi, atque optimi, quibus mœrorem hunc tuum explicare atque aperire jure debes; quum & hortando & conſolando avertere impetum doloris poſſint. Nobis vero quid conveniat, quid deceat, quid oporteat difficile cognitu eſt, in ipſa præſertim doloris acerbitate, rationis impatientiſſima. Nihil vero tam in homine periculoſum, quam ut propriis oculis confidas: multa in nobis ipſi non videmus, quæ a ceteris tamen videntur. Fiunt etiam, quæ a multis feruntur, onera leviora.

Alex. Ego tibi, o Raymunde, nullo pacto aſſentior. Neque enim dolor ipſe aperiendus mihi unquam videtur; & aliorum ope niti periculoſum puto: perrarum quippe eſt hoc amicorum genus. Nam præter pauca, & neſcio tamen an vera, quæ de Pylade ac Oreſte a Poetis celebrata ſunt; quid tandem in tanta temporum varietate, ac memoria aut

in amicitia glorioſum, aut præclarum fuit? quis cum amico ſatis unquam doluit? quis dolentis cauſſam recte egit? Idem in omnibus vitium eſt. Si ea ſtatim perſuademus dolenti, quæ optima putantur, ſatisfeciſſe officio boni viri videmur. At ſi magnitudo ipſa doloris ſuperat, culpam in eum conferimus, quaſi furioſum atque inſanum, qui conſilia noſtra ſequi nolit, & ipſum male cum ſuo malo relinquimus. Quo fit ut perfacile etiam videatur conſolantis officio fungi. Alienam quippe rem agimus, o Raymunde, neque nos impudentiam noſtram conſideramus, qui moleſtiores ipſo dolore ſumus, importuni, difficiles, acerbi, &, quod turpius eſt, imperiti, atque incauti, neque tempori, neque loco cedentes: quibus nulla imbecillitatis noſtræ ratio habetur, qui ad dolorem nati ſumus, & ad ipſam perturbationem proni ac faciles. Itaque indulgendum ſæpe eſt, vincenduſque diligentia & artificio dolor, laxandæque interdum habenæ, ne miſeriores noſtro malo efficiamur, quibus nec lacrymari quidem aliquando liceat. Fugiendi homines iſti tam inhumani, neque ad ullum conſolationis munus admittendi. Quare ſentiant alii quod volunt, nunquam me conſilii mei pœnitebit, ut doleam ſolus. Verum te in hoc ſermone ſemper excipio quaſi alterum me: nihil quippe abs te alienum meis in rebus volo, qui, ut paullo ante dixi, ceteris ingenio, doctrina, humanitate, ſapientia, fide maxime præſtas. Atque, ut jam dicendi finem faciam, levior etiam mea ſententia eſt, qui non exprimitur, dolor: animus quippe noſter quaſi navis eſt, cui facilius multo erit uni vento reſiſtere, quam duobus. Qui ſolus dolet, uno tantum agitur vento, ideſt ſuo: qui cum multis, & ſuo & alieno agitari eſt neceſſe; habet enim proprium ipſe dolorem, & alius amicorum cauſſa naſcitur aut æque dolentium, aut non recte conſolantium: quo fit ut quocumque te verteris, malum ex malo augeatur.

RAYM.

Raym. Vellem, o Alexander, dixiſſes aura, potius quam vento, amicos ab amicis agitari; levior enim eſt: quæ ſi forte importunior, ut dicis, fuerit, navem movere poterit: impellere, atque in ſcopulos deducere non poterit; præſto enim nautæ ſunt, ideſt amici, qui etiam importuni ac rudes, aliquam tamen opem ferant. Ille vero, qui ſolos nos oppugnat, doloris ventus, nimbo & grandine permixtus, facile ſubmergit debilem ac fluctuantem naviculam, & omni ope deſtitutam. Quidni? ubi gubernator? ubi vela? ubi remiges ſunt, ſi ſoli navigamus? ideſt ſoli dolemus. Sed quid argumentis opus eſt? nam ego tibi plane aſſentior, haud minus quam Platoni, aut Socrati, propter ſummam & dignitatem & ſapientiam. Modo quod pollicitus es, præſta, nihil mihi ut facias alienum.

Alex. Cedo, quando me tam ingenue, tamque liberaliter interpellas. Nam etſi rationes ipſæ in primis delectant animum; moveor tamen auctoritate tua magis. Atque ut jam morem tibi gerere videar, diem hunc ſolemnem, o Raymunde, Victorini præceptoris optimi ac ſanctiſſimi amariſſimus nobis interitus facit. Illum enim Chriſtiano more expiantes, divinam rem agimus; quod hoc ipſo die moriens nos reliquit, ad pia & beata loca proficiſcens. Cujus ego viri accerbiſſima recordatione ac memoria ita maxime perturbor, ut, quod paullo ante dixi, nihil ea cogitatione miſerius, nihil infelicius. Nam ipſa in perturbatione animi veterum omnium malorum quaſi imago quædam obverſari ante oculos videtur, invito etiam me, & mentem ad lætiores cogitationes convertente. Neque ſane illius viri caſum lugeo, qui jam divinitatem quandam aſſecutus, terrena & caduca iſta dedignatur. Noſtram doleo fortunam, quod nunc eo caremus optimo vitæ gubernatore, quo nemo unquam melior fuit aut ſanctior.

Raym. Ego de hoc viro audivi ſæpe multa; ſed

qui

qui illum mihi plane demonſtraret, inveni neminem. Quare huic tuo dolori gratias ago, qui nobis ad ea, quæ maxime optabamus, aditum ac januam patefecit, ut de hoc ipſo Philoſopho ſermonem haberemus. Itaque pergratum ſane erit, ut hunc nobis virum pingas, qualis in omni vita fuerit oſtendens; quo neque gravior teſtis adhiberi poteſt, quum diuturna illius familiaritate uſus ſis.

ALEX. Fateor. Sed nihil, mihi crede, hoc, quem tu optas pictore difficilius, aut majus. Nam quo pacto tantas hujus viri laudes explicare quiſquam poterit non in dicendo exercitatus, quique parem illius ſanctitati orationem afferre poſſit, & eum, ut tu rogas, præſentem ac pene vivum oſtendere? qui te illius in primis ſtudioſum atque amatorem reddat, te in admirationem ſui convertat, te incitet atque inflammet deſiderio quodam & ardore illius, quam laudabit, virtutis adipiſcendæ atque imitandæ? Eſt enim proprium illud Oratoris munus, vitam moreſque hominum laudando, trahere ad virtutem invitos etiam ac tergiverſantes auditores. Quæ ſi ab alio quodam explicabuntur, qualis ego ſum, imperito atque indocto, etiamſi per ſe magna ſint, jejuniora tamen videbuntur, neque ulla ex parte audientium animos movebunt, detracta orationis venuſtate. Quanta enim vis eloquentiæ ſit, ex noſtris Philoſophis, ac Prædicatoribus deprehendi poteſt; qui una eademque de re populo præcipientes, alii tenues, remiſſi, oſcitantes, exigui, etiamſi magna & præclara dixerint, nihil tamen dicere videntur; quos auditores ipſi vix aliquando patiuntur. Alii contra in hoc ipſo celeres, incitati, copioſi, vehementes ſe ſe ipſos efferunt, & augent atque exornant; tantoque res admirabiliores faciunt, quanto meliores ipſi laudatores ſunt. Namque in illa tam glorioſa contentione, quæ pro Cteſiphonte habita eſt a Demoſthene, quid aliud potuit tam vehementer judices accendere, quam ſtu-

ſtudium illud & ardor ac dignitas orationis? Conſtat igitur vim atque impetum dicendi non in rebus, ſed in actione maxime conſiſtere: quanquam divinus Socrates, quum de illo judicium ageretur, ita ſe ipſe defendit, ut nullo dicendi apparatu uti vellet: quo nihil mihi indignius videri ſolet. Neque enim petendum fuit, ut ille tum eloquentia ſua melior apud judices putaretur; ſed illorum moveret animos ſaltem ad innocentiam, ſi non ad vitam conſervandam. Atque ego ſi ea conabor efficere, quæ petis, & te, & Victorinum afficiam injuria: nam a me tantus oſtendetur, quantum vix oratione mea ſuſpicari poteris, quum ipſe longe major fuerit; neque deſiderio tuo fiet ſatis, quod totum hominem cupis agnoſcere. Fiet igitur mea cauſſa deterior atque obſcurior, quod eum ſine ullis ornamentis tradam. Nam ſi turpe eſt pecunioſum civem ſine pretioſa veſte incedere; quanto indignius putandum erit tantum Philoſophum Oratoria carere dignitate, quæ illum ornet ac veſtiat, a quo ſæpe veſtita atque ornata eſt eloquentia?

Raym. Vide, quæſo, quantum intereſt tuum inter judicium, & meum. Nam ſi tanti fuit præceptor iſte tuus, quanti illum facere videris, quonam pacto deeſſe poterit oratio, quæ ſe ultro etiam offeret in tanta laudandi opulentia & copia? aut ornatu carere, quum poſſis illum proprio ac naturali colore pingere virtutum plurimarum? Iſta vero, quam laudas, eloquentia, foro atque cauſſis & judiciis relinquatur. Quod ego quæro, non in verbis poſitum eſt, ſed in rebus, quæ ut geſtæ ſunt, non illuſtrandæ, ſed narrandæ ac perſtringendæ potius videntur. Nam genus illud orationis profuſum ac liberum ſcenæ magis, quam hiſtoriæ, conceditur. Quod autem de vi Oratoris dicis, haud nego; fateorque tantam eſſe, ut quamcunque in partem velit, flectere imperitiam vulgi poſſit. At qui recte ſapiet, cavebit tanquam ab hoſte acerrimo, ſingula illius verba ponde-

derans: & ſi quid grande, magnificum, ornatum, aut ſumma laude dignum narrabunt laudatores iſti tam magnifici, tamque præclari, fortaſſe in aliquam aſſentationis ſuſpicionem incident; quia ea dicere putabuntur, quæ domi finxerint, non facta, ſed factu digna, neque tam illius propria de cujus laude agetur, quam ejus, qui laudat, Oratoris. Quod ſi paullo erit adſtrictior, ut nihil ex ea laudatione amputari jure poſſit, tanquam ex arbore nimium ramoſa & laſciva; uberiorem fortaſſe fructum afferet, ne tam audientium aures delectare videatur, quam docere. Nam quid Virgilio credam, aut Homero, qui Priamum & Trojam tanti facere conantur, ut in hoc uno totus Poetarum clamor exaudiatur? quo nihil eſt fortaſſe incredibilius, quum paullo ante illud glorioſum Græcorum bellum, una tantum pugna capta fuerit Troja. Nunquam, mihi crede, indecorus eſt laudantis pudor, qualem in Lucio Craſſo fuiſſe legimus; decetque in Oratore ipſo verecundia, tanquam in virgine. Quare laudandus mea ſententia eſt ſine magno laudatore Victorinus, & puro quidem genere dicendi, ut quum de illo quicquam narrabitur ſummo viro dignum, natum ab eo videatur, non ab Oratore.

Alex. Gaudeo: nam opportune ad nos venit Franciſcus Calcagninus (1), magnæ auctoritatis vir, & huic noſtro ſermoni admodum neceſſarius. Eſt enim, qualis paullo ante optabatur, in dicendo vehemens, ornatus, copioſus, acutus, &, quod optimum erit, nunquam imparatus; quem interrogare tuo arbitratu poſſis quacumque de re, etiam minima. Eſt, ut noſti, urbaniſſimus. Fuit etiam diſcipulus Victorini

eoque

(1) Calcagninus hic Mantuanus teſtis adhibetur in ſupremis Joannis Franciſci Gonzaghii tabulis a Lunigio in Codice Italiæ Diplomatico vulgatis. Mantua poſtea Ferrariam familia demigravit, ubi doctiſſimum hominem Cœlium Calcagninum tulit.

eoque uſus eſt non ſolum præceptore, ſed amico, ac perfamiliari; qui ſuperiores illius annos, totamque ejus vitam explicare facile poſſit. Noſtri vero amiciſſimus omnium. Nam cum hoc viro eouſque conjunctiſſime ſemper vixi, ut illum comitem adjutoremque conſiliorum meorum habuiſſe nunquam pœnituerit. Summa enim in eo fides, ſumma caritas, maxima in diſcernendo deliberandoque prudentia, multarum rerum uſus atque cognitio, optima litterarum peritia, ſermo dulcis, limatus, nulla in re non probandus. Quibus rebus quum apud nos magno ſemper in honore fuerit, majori tamen mea ſententia dignus. Primum inter Patris mei Secretarios locum tenuit; quo tandem extincto, ad Borſium illuſtriſſimum Ferrarienſium Principem ſe ſe contulit; tantaque apud illum & auctoritas & gratia eſt, ut unus poſt hominum memoriam & liberaliſſimi Ducis benevolentia, & Theophili filii dignitate, amplitudine, gloria fortunatiſſimus, beatiſſimus, glorioſiſſimus inter mortales pater habeatur. Neque paterna dignitate minor filius præclarum, ut dici ſolet, ſpeculum, non fortunæ ſolum, ſed virtutis. Qui quum in tanta maximarum rerum, dignitatum, honorum opulentia, atque in tanto Solis ſplendore poſitus ſit, quantum vix optare ipſius Solis filio liceat; nemo tamen urbanior, nemo mitior, nemo liberalior, nemo numini ſuo Borſio aut fidelior, aut obſequentior. Qui quum unus Principum glorioſiſſimus, atque unus in terris Deus ſit; nemo tamen ante hunc noſtrum Calcagninum ſuo Jove dignior, quem difficile dictu eſt, virtute, an fortuna clariorem putes. Sed hæc tanta tamque innumerabilia ornamenta alia fortaſſe ſplendidiore oratione explicanda relinquamus. Dabis tamen, o Raymunde, quanquam nos Victorinus interpellat & vocat; dabis, inquam, hanc nobis veniam, ut pauculis etiam verſiculis affari hunc abſentem liceat; libens enim ejus gloria delector, quo

nemo

nemo patri ſuo, nemo ſibi, nemo ſuis, amicior, aut ſuarum laudum cupidior eſſe poteſt.

RAYM. Immo ſane & volens, & libens do. Quid enim eſt, quod libentius audire poſſim, quam de hoc ipſo, ſi fas ita loqui eſt, diviniſſimo & immortalitate digno Principe? tum de his noſtris Calcagninis? quorum tanta felicitate & propter eas, quas connumeraſti, eorum virtutes, & propter te, qui tam obnixe eorum gloriæ faves, & propter eam, quæ mihi cum his eſt, amicitiam (amo enim, & ſemper amavi Calcagninum nomen) non poſſum non vehementer delectari. Quare tuo arbitratu dicas, & multa ut dicas licet. ALEX.

Sint tibi, Theophile, felicia ſæcula quæſo,
Felices tibi ſint, perpetuique dies;
Et longum ſuperes annoſi Neſtoris ævum,
Nullaque ſint fato tempora fixa tuo.
Sint dulces nati, ſit plurima lætaque proles,
Plenaque ſint nuribus atria multa tuis.
Sint Priami thalami, ſit Craſſi divitis aurum,
Aurea tecta, domus aurea tota tibi.
Sit quoque lætus ager, lætæque in vitibus uvæ,
Plenaque cum pleno vellere creſcat ovis.
Læta tibi tellus, lætum mare, ſidera læta;
Læta tibi ſemper Cæſaris aura tui.
Te quoque victrices Aquilæ, victricia ſervent
Lilia; ſitque tuus victor ubique Deus.
Victor, ovans, placidus, mitis tibi Borſius, oro,
Quo ſit nulla tuo gratior umbra Jove.

FRANC. Salvere jubeo vos, o viri. Quid agitis mœſti ac ſubtriſtes?

ALEX. Optatiſſimus nobis, o Franciſce, adveniſti; nam de Victorino noſtro ſermo eſt, qui tibi melle dulcior eſſe ſolet.

FRANC. Gaudeo: nihil quippe eſt, quod libentius audiam, quam de hoc ipſo Socrate, non ſolum de nobis, ſed de litteris, de moribus, deque tota,

ta, ut ita dicam, Philoſophia benemerito.

Raym. Vera tibi, o Franciſce, narrat hic Princeps noſter; nam de ipſo loquebamur Victorino. Sed quum ab eo percunctatus eſſem de hujus hominis integritate ac vita, tergiverſari mihi viſus eſt, neque velle tam pium munus ſuſcipere.

Franc. Miror! nemo quippe omnium eſt, o Raymunde, qui majora præceptori debeat: ceteri enim, ut ita dicam, diſcipuli extitere; hic etiam filius atque hæres virtutis fuit; a quo ita inſtitutus eſt in omni vita, ut unus ipſe ſimillimus videatur.

Alex. Fateor; & quanta illi debeam, ſentio, quem in parentis loco ſemper colui. Sed me debilitas iſta corporis, quam videtis, deterret: magnum quippe munus ſuſcipiendum videtur. Quare te oro, o Franciſce, per communem præceptorem, perque amicitiam noſtram, qua nihil dulcius eſt, & per hujus ampliſſimi Juriſconſulti auctoritatem & gratiam, libera me ab hac moleſtia, & quod ego debeo, tu ſolve, ut pro me dicas.

Franc. Quid me rogas, mi Princeps, quod ego ex officio facere videor, meritorum illius viri haudquaquam immemor? quum præſertim & tibi adjumento eſſe poſſim, quem omnium ſemper colui maxime; & mihi ornamento, quem vos ſummi viri quaſi magnum quendam oratorem audituri eſtis; & huic Juriſconſulto, quod maxime ſemper cupio, ſatisfaciam, cui debere omnia me profiteor, propter virtutem illius ſingularem: nemo quippe eſt qui nihil debeat virtuti. Nam, ut ex te audire ſoleo, atque ego periculum ſæpe feci, nemo eſt hoc ipſo Lupo mitior, nemo integrior, nemo doctior.

Alex. Ita eſt, o Franciſce: atque utinam hunc diſcipulum Victorinus habuiſſet; pergratus, mihi crede, perque jucundus illi fuiſſet cum propter ipſum ſe, tum excellentiam atque amplitudinem ſuorum; ille enim ut novimus, nobilitati afficiebatur. Quis igno-

ignorat patrem atque avum, ceteroſque majores ſuos omni laude cumulatiſſimos, dignitate, gratia, potentia, opibus valuiſſe plurimum? quodque perpetuum atque hæreditarium in ſua familia eſt, Marchionatus fulgore claruiſſe? Teſtis eſt Civitas noſtra, cujus nonnulla pars a ſuo nomine nomen accipit: ea Luporum ædificia vocamus; certiſſimum antiquitatis documentum. Neque longe ab his publicum inopiæ noſtræ refugium, multo ante a ſuis majoribus magna impenſa inſtitutum atque ornatum. Quo fit ut tantum hujus Lupinæ gentis caritatem ac munificentiam admirari ſæpe ſoleam, quæ ad ſuſtentandas multorum difficultates tanto nixa ſit ſtudio, ut nullus fere locus, quem eorum quiſque incoluerit, vacuus ea gloria reperiatur. Teſtis eſt Patavina Civitas, in qua multæ mortuorum imagines, multaque & præclara nobilitatis ſuæ monumenta perſpici poſſunt. In his ſumptuoſiſſimum Luporum ſepulchrum, treſque Religioſæ Ædes magnis dotibus ab iiſdem locupletatæ. Teſtes ſunt Florentini Cives, a quibus religioſa & pia loca celebrantur multo ante a ſuis publicæ paupertati conſecrata, multis quidem & magnis ædificiis atque templis, tum incredibili quodam ſumptu atque ære conſtructa: quæ quidem omnia ſuorum opera fuiſſe, litteræ aureæ publice inſculptæ teſtantur. Sed ejus rei ſeriem atque ordinem paullo altius ordiamur. Bonifacius Lupus ea tempeſtate inſignis atque in re militari clarus, magnitudine animi ac liberalitate facile princeps, quum Florentinorum ductor eſſet (nam tum bella cum finitimis gerebant) exercitum contra hoſtes ducere juſſus eſt. Quibus tandem domitis, atque ingenti præda parta quum in urbem victor rediiſſet, convocato Senatu, verba in hanc ſententiam feciſſe dicitur: Ego, o Præſides Florentini, arma contra hoſtes veſtros juſſu atque imperio veſtro movi, atque ut inſolentiæ illos ſuæ pœniteat, ductor veſter coegi. Prædam vobis adduxi

opu-

opulentam; quæ etſi jure belli noſtra eſt, qui juſtum geſſimus bellum, eam tamen vobis, civibuſque veſtris dono damus; æquius arbitrantes vobis, qui injuriam accepiſtis, omnia hæc deberi, quam aut nobis, aut militibus noſtris, gloriam, magis quam divitias, optantibus. Satis nobis erit & vobis, Præſides, paruiſſe, & dignitatem atque amplitudinem hujus urbis, &, quod præclarius duco, fidem noſtram erga vos conſervaſſe, eam in poſterum, quantum in nobis erit, non minori ſtudio conſervaturos. Gratus in tanto beneficio populus, atque illa Imperatoris ſui liberalitate victus, quum acceptam prædam publice vendi mandaſſet, collecta ingenti pecunia, quæ ſupra diximus, templa, atque tecta ornatiſſime ac ſplendidiſſime ædificari juſſit. Luporum hoſpitia dulci & jucunda ejus gentis recordatione appellantur: cujus familiæ poſteros perpetui patronatus jure decoravit. O felix Civitas, quæ tales tamque liberales habuit Lupos! Taceo paternas, avitaſque in agro Parmenſi & Cremonenſi hæreditates. Taceo pretioſiſſima prædia, poſſeſſiones ampliſſimas, oppidum opulentiſſimum ſuæ familiæ ditioni ſubjectum (1). Taceo veteres illos proavos non in re militari ſolum, quæ præcipua illis fuit, ſed in omni doctrina & ſapientia clariſſimos. Ipſum vero præſentem quibus tandem verbis extollemus (2)? in quo tanta Juris Civilis ac Pontificii ſcientia eſt, tanta ſacrarum Legum peritia, eloquentia plurima, cetera quoque ſtudia non incognita, diligentiſſima Religionis obſervantia, in judicando fides ſumma, in audiendo diligentia, in ſublevandis oppreſſorum civium cauſſis

(1) Soraneam ſcilicet, oppidum fines inter Parmenſium ſitum.

(2) Raymundum Lupum memorat Platinenſis Hiſtoriæ Mantuanæ Libro ſexto, pro Ludovico Gonzagio ad Pium II. Summum Pontificem, gratulandæ dignitatis cauſſa, Legationem obiiſſe. De univerſa autem Luporum gente Hiſtoriam ſcripſit Hyppolitus Calandrinius Parmæ an. 1653. editam.

perſeverantia, in calamitoſos munificentia, in litteratos doctoſque viros liberalis benevolentia; quodque præclarius eſt, in magna colligendi auri licentia (nulla enim civitatis noſtræ pars ſuo munere, ſuo labore, ſuo beneficio vacua eſt) ſingularis continentia, incorrupta mens, incorrupti oculi, incorruptæ manus, tota denique incorrupta domus eſt. Illud etiam mirandum, in homine præſertim negotioſo, quod nullis diebus divina res intermittitur, nulla ſolemnia ſacrificia deſeruntur, nullum pium opus negligitur. Taceo quid in collocandis virginibus, atque in ſublevanda multorum inopia erogare ſolitus ſit. Illud palam eſt, multa ab eo judicia gratis facta, gratis remiſſa; nullum etiam aut calamitoſum aut indigentem vacuum ab ejus limine redire ſolitum. Neque tacebo tantis illum naturæ beneficiis ornatum atque munitum, ut præter diligentiſſimam ad ſtudia litterarum mentem, robuſtiſſimo etiam & firmiſſimo corpore uti poſſit, ad omnes labores aptiſſimo ac patientiſſimo, ut ſæpe inſomnes noctes ducere ſcribendo, aut meditando in deliciis habeat; quo nihil Victorino carius cogitari poterat. Sed jam ad inſtituta redeamus, ne aut præſenti aſſentari, quod certe neque nunc facio, neque facere ſoleo, aut ſuas magis laudes dicere videamur, quam ipſius Victorini; in quo uno laudando ſermo iſte noſter ab initio ſuſceptus eſt. Quare ad cetera, o Franciſce, perge.

Franc. Peto igitur a vobis, o viri, ut in contemplando Victorino, familiari quadam oratione contenti, genus illud magnificum atque elatum ne expectetis, quum ipſe omnino caream eloquentia; quæ ſi etiam in me ſumma eſſet, ea tamen uti nolim, quaſi Victorino facturus injuriam. Ipſe enim vivens omnem dicendi faſtum atque fucum, omnemque dicendi apparatum ita penitus abjecit, ut quum eſſet ipſe eloquentiſſimus, & ad dicendum aptiſſimus,

Ora-

Orator tamen unquam eſſe nollet, integritate magis vitæ, quam ambitione, aut populari gaudens aura. Atque, ut mihi quidem videtur, Socratem in multis ſecutus, in hoc uno omnino ſimilis, quod eorum neuter ſcribere, quum poſſet, voluit: quanquam nonnullæ Victorini ſint Epiſtolæ ad familiares, gravitatis quidem plenæ, & auctore ſuo dignæ; pauca etiam Carmina ab eo adoleſcentulo edita, & caſu a domeſticis inventa (1). Socratem vero niſi Plato ceterique diſcipuli ſuis diſputationibus illuſtraſſent, vix Philoſophum fuiſſe cognoſceremus. In hoc ipſo inferior certe Victorinus fuit, quod ille a ſuis maxime celebratur; hunc qui poſteris relinqueret, nondum ex tanto diſcipulorum numero quiſquam fuit, præter paucula Saxoli Pratenſis laudes, & Franciſci Caſtillionenſis in eo, quem de Antonini vita ſcripſit, libello. Quare hunc ego vobis tradam, nudum tamen, & omni pompa detracta: ipſe ſe ſuomet ſplendore veſtiet, & me quoque ornabit dicentem. Illud tantum conabor, ne quid aliunde aucupari, aut intexere huic noſtro ſermoni falſo videar; & quicquid de illo narrabitur, totum ab eo haurietur.

ALEX. Placet, quando ita uterque veſtrum probat; nam hoc ipſum paullo ante dicebas, o Raymunde, & hic ſequi te ſine controverſia videtur.

(1) Ex Epiſtolis nonnullæ ſuperſunt, mihi nullibi viſæ, unam ſi excipias ad Ambroſium Camaldulenſem, quam in Codice manuſcripto Bibliothecæ Nanianæ legere memini. De vulgaribus Latiniſque Carminibus, eſt inferius a Prendilaqua notatum; ut ab Angelo Decembrio in Politia Litteraria de Plinii Hiſtoria ab eo, adjutore Guarino, diligenter emaculata; & a me de quadam Oratione, in qua Mantuæ laudes percenſet. Quod autem pauca hæc ex parte pene nulla tantum virum poſteritati referrent; optimo conſilio factum eſt, ut e diſcipulis Saxolus Pratenſis, Franciſcus Caſtillionæus (de quibus loco ſuo) & Prendilaqua in ejus vita & diſciplina enarranda certarent: nec ii tantummodo, verum & Bartholomæus Platinenſis, ac Veſpaſianus Florentinus quorum de Victorino Commentariolos ineditos Vaticani Codices habent.

Raym. Perge modo, o Franciſce; habes me auditorem paratum & cupidum.

Franc. Victorinum ex municipio Feltro, quod in extremo Venetorum angulo jacet, Bruto & Munda parentibus natum honeſto genere conſtat. Nam Rambaldones, quo ille cognomento appellabatur (1) haud obſcuri ſua in civitate fuere; ſed adeo tenui fortuna, ut aliquando minimis indigerent. Statura corporis puſillus, macilentus, colore ſubrubicundo ac pene aduſto; cujus etiam inferius labrum aliquanto eminebat. Facies non indecora & gravitatis plena, ut facile Philoſophum exiſtimare poſſes; tantæque apud diſcipulos venerationis, ut quem paullo attentius inſpexiſſet cujuſvis ſibi conſcium culpæ, ſtatim præſentia ſua frangeret, atque ex ipſo vultus rubore crimen deprehenderet. Pius tamen præceptor, ac diligens alienæ famæ cuſtos; nihil enim niſi publice factum redarguebat publice; in certos converſus Naſonis verſum dicere ſolebat:

Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu!

quibus verbis illum occulte carpens, ceteros a flagitio deterrebat. Natura illum fervoris plena ad duo maxime ferebat, libidinem, atque iracundiam. Quæ ille vitia cum eo nata ita generoſe caſtigavit, ut nulla in re melior atque clarior haberetur: neque enim violata unquam ab eo pudicitia eſt, nec concitatus indigne animus. Sed iſta ingenii bona paullo poſt explicabimus. Nunc de corpore ipſo. Vox canora, dulcis, oratoria, quæ auditores in primis delectaret, totius corporis geſtus, ac motus decorus atque aptus & compoſitus. Nam admodum puer currendo, ſaltando, equos agitando, quorum omnium per-

(1) De Victorini genere diſſident Scriptores: ex familia Romagna natum alii affirmant; alii eum Rambaldonibus annumerant. His ut aſſentiar, quoddam præcipue facit Diploma Laureæ in Gymnaſio Patavino anno 1410. donatæ, in quo teſtis *Magiſter Victorinus quondam Ser Bruti de Rambaldonibus de Feltro* (Ex Tabul. Epiſcop. Patav.).

percupida eſt puerilis ætas, egregius inter pares fuit, pilæ certamen ſingulis prope diebus frequentans: quæ illi exercitatio laborioſa ad conſervandam valetudinem apta videbatur, tum ad componendum, ornandumque corpus prope neceſſaria. Artificio uſus eſt ad confirmandas adoleſcentiæ ſuæ vires optimo ac ſaluberrimo. Nam circumacto ſingulis haſtis utroque crure, atque his erectis, toto corpore innitendo a terra extollebatur; inde eas manu regens, in ambulantis modum ſe ſe movebat, haſtis pro pedibus utendo; qua in ambulatione difficili ac dura ſpatium ſæpe conficiebat haud minus jactu lapidis propinquum. Hæc etſi levia fortaſſe videantur, vixque viro magno digna; tamen ſi puerilem ætatem conſideramus, non inutilia: magnum quippe naturæ beneficium virtute corporis ornari. Quod etiam multo in honore fuiſſe apud Thebanos legimus; a quibus non ingenia magis exercebantur, quam corpora. Quibus artibus effecit, ut omni motu venuſtus (id autem parvo in corpore decebat) tum laboris patientiſſimus redderetur, proſperam deinde valetudinem pararet. Nam præter alterum ante ejus mortem annum, quo unico morbo captus eſt, reliquum vitæ tempus ad octavum ac ſexageſimum annum ſine ulla corporis moleſtia perduxit. Hæc ille poſtea ſenex quum diſcipulis narraret pene gloriabundus, ac tenerioris ætatis memor, nonnullos ejus laboris, utpote novi, cupidos ac ſtudioſos reddidit, accenditque deſiderio quodam & ardore mobilitatis illius imitandæ, non tam ad delectandos adoleſcentes, quam ad corpora honeſtis laboribus conſervanda. De corpore hactenus. Nunc de ornatu. Interior ex lino tunica pene rigida fuit, qua mollitiem carnis frangeret, acerrimus illius adverſarius atque hoſtis. Media ex corio ſilveſtris capræ, quæ ſumptu parva, ad uſum tamen firmior eſſet, neque a ſeveritate Philoſophica abhorreret. Unica veſte contentus vixit ad utrumque tem-

pus accommodata, fervoris ac frigoris, æſtate panno tantum utens, hyeme adhibitis ovium pellibus; cetera enim ſumptuoſiora genera vitabat. Hanc virilem appellabat togam, quaſi viro dignam: nam ut veſtis illa ſingulis temporibus apta erat, ita fortis ac virilis animus utrique fortunæ conveniebat. Calceos habuit quales ex infima plebe ſolent; quibus hyeme, ut fieri ſolet, duplicatis neque utebatur ipſe, neque diſcipulos uti patiebatur ad vim frigoris ſedandam fugandamque, ſtultum eſſe clamitans pretio quæri quod poſſet gratis: calorem, ut cetera ad uſum hominis neceſſaria, ex terra facile generari, quem ipſa parens omnium indulgentiſſima ſua ſponte præſtaret aut pulſata pedibus, aut curſu calcata: ſi ex motu produceretur, ſuaviorem eſſe calorem, quum totum amplexaretur corpus; ſi ab ipſo igne, remiſſiorem, ac moleſtiorem, quum proximas tantum partes fovendo, remotiores frigere pateretur: multa deinde incommoda ex nimio ignis uſu naſci, ſcabiem, inertiam, obſcuritatem luminum, oculorum lippitudinem, cutis rigorem, corporis diſſolutionem: ex ipſo motu generari bona, confirmari vires, ingenia excitari, hilaritatem creſcere, bonam augeri valetudinem, cibos optime concoqui, lætitiam accendi. Qua ille motus ratione quum adoleſcentem propius igni admotum cerneret, indignabatur animo; blandius tamen carpens, ne ſeverior fortaſſe contra communes mores videretur, ad curſum paulliſper dimittebat excitandi gratia caloris: quod ille neque invitus facere, ut pueri ſolent, voluptatis ac differendi ſtudii cauſa. Ita facilior ad bonos mores alliciebatur adoleſcens, captus diligentia illa præceptoris & arte. Ipſe ad ignem venire ſolitus eſt nunquam, quum ſæpe manus ipſæ rigidæ ac pene mortuæ præ nimia frigoris acerbitate viderentur; quarum neque uſum neque ſenſum haberet, quum neque digitos flectere, aut colligere, aut calamum regere poſſet. Si quid

ma-

manibus tractandum erat, fricationes adhibebat, quoad digiti miteſcerent: reliquum corpus aut frequenti pedum motu, aut deambulatione adjuvans, aut diſcipulos otioſos ad interrogandum alliciens; ut contentione quadam attentioris diſputationis & corpus incaleſceret, & animus. Nonnunquam legere ſolebat, ut concitata voce priſtinum recuperaret calorem, haud diligentia præceptoris carens, neque temporis jacturam faciens: nihil enim diligentius obſervabat, quam ut tempora commode divideret ad opera negotioſa & virilia, ne quid vel apud ſe remiſſum, vel apud diſcipulos otioſum relinqueret, aut inertiæ concederet: quod ille caput ac fontem vitiorum eſſe dicebat. De corpore ornatuque ſatis. Nunc de tota vita videamus. His naturæ dotibus excellens Victorinus, jamque adoleſcentior factus, quum & inopia rei familiaris premeretur, & ſuperiores illius anni parum fructuoſi viderentur, quod in ea civitate, utpote parva atque obſcura, neque præceptores habuiſſet bonarum artium, quales in primis tale ingenium cupiebat, neque librorum copiam; Patavium, in quo omnes ferme artes excoluntur, proficiſcitur. Ibi aliquandiu pro pædagogo acceptus, Grammaticæ eruditionis brevi factus eſt princeps. Mox Dialecticæ, ac Philoſophiæ egregiam operam dedit (1), jam inter primos illius profeſſionis doctores jure ac merito numerandus (2): ſicut ille, ut erat Philoſophus, abjecta omni doctoratus pompa, nullos honores illi ordini conceſſos petere voluit, neque ornatiore

(1) Patavii ſub Joanne Malpaghinio Ravennate, qui Petrarcham ſenem puer noverat, litterarum rudimenta Victorinus poſuit; a Caſparino Barzizio ibidem, ni fallor, expolitus. Dialecticam & Philoſophiam a Paullo Nicoletio, cui *Veneti* cognomentum, & Jacobo Turriano Forolivienſi, Profeſſoribus ea tempeſtate in Gymnaſio præcipuis, facile hauſerit.

(2) Donatæ illi laureæ nullum ſupereſt monumentum in Gymnaſii tabulis, quas conſulere placuit. Ceterum & Caſtillionæus, & Platinenſis rem aperte teſtantur.

tiore veſte, neque annulis, aut aurata zona uſus eſt; illud ſæpe repetens non appetendam eſſe virtutem ornandi corporis gratia, ſed animi. Orator etiam factus, Mathematicæ noſcendæ deſiderio captus eſt; quæ quum nullo in uſu eſſet, (nam tum ſingula litterarum ſtudia prope in deſuetudinem deducta erant) difficilior cognitu videbatur, quum neque Lectores publici, ut ceteris in artibus mercede conducerentur, neque auditores multi ejus rei cupidi eſſent. Fuit eo tempore Blaſius Pellacanus (1), inſignis avaritiæ vir, ſed in ea diſciplina clarus, ac prope ſolus, qui privatim domi quæſtum faciens legebat. Hunc quum adiſſet Victorinus, neque ſine pecunia ad audiendum admitteretur, indignatus hominis acerbitatem atque inſolentiam, ſtatuit per ſe ipſe facere; tantumque hujus viri diligentia & ingenium valuit legendo ac meditando, ut ſummus jam evaderet nullo adjutore fretus (2). Quod quum Pellacano renuntiatum eſt (jam enim præclarum ac celebre erat Victorini nomen) doluiſſe admodum fertur, ſive, ut arbitror, præclarioris diſciplinæ invidia commotus, ſive avaritiæ ſuæ conſcius, quæ talem ſibi diſcipulum eripuiſſet, a quo & ipſe clarior futurus erat, & admirabiliora de ſe judicia hominum concitaturus, ſi tale ingenium tam brevi excoluiſſet: multi enim futuri videbantur, qui propoſita ejus gloriæ ſpe, ad aucupium Pellacani cum pecunia venirent. Cujus rei non ignarus Victorinus ſæpe in avaritiam hominis jocatus, dicere ſolebat: *Quam multa*

(1) Parmenſis hic fuit: Philoſophiam & Aſtronomiam Placentiæ, Bononiæ, Ticini, ac Patavii profeſſus eſt. In patria diem obiit anno 1415. nonnulla cum ſcripſiſſet de rebus Philoſophicis ac Mathematicis jamdiu edita.

(2) Adeo vero feliciter jam tum eſt in Euclide verſatus, nullo ut duce decem illius Geometriæ libros ſemeſtri ſpatio eum probe cognoviſſe, Caſtillionæus teſtetur; quem poſtea integrum ex ea librum, nulla præmeditatione habita, ſæpe diſcipulis prælegentem ſe audiviſſe adjungit.

ta Pellacano debeo, qui me gratis Mathematicum facere voluit, hac una in re liberalis! rapaciſſimam ejus naturam accuſans. Eodem ferme tempore Guarinus Veronenſis vir clariſſimus, & de Græcis, Latiniſque litteris optime meritus, e Græcia rediens, primam tum illius linguæ cognitionem, tanquam a ſomno excitatam, afferebat; quæ multos ante annos amiſſa, unius viri ſtudio, ac doctrina quaſi poſtliminio reſtituta eſt (1). Nam ex ipſa Conſtantiniani Imperii peregrinatione, & diuturno Gothorum bello, variis deinde ſingulorum temporum calamitatibus ita oppreſſa Italia eſt, ut nihil poſtea litteris ac ſapientia infelicius fuerit. Audito Guarini nomine (jam enim tota Italia glorioſum eſſe cœperat) confeſtim ad eum convolans Victorinus, facile ab homine humaniſſimo ac liberaliſſimo impetrat, ut Græcam ab eo dictionem acciperet; quod ille haud diuturno labore aſſecutus optime eſt ſumma ingenii celeritate. Cujus tamen muneris haudquaquam immemor Victorinus Guarinum in parentis loco ſemper coluit, præceptorem ſuum nominans. Quod ille poſtea beneficium repetere optimo jure viſus eſt, miſſo ad eum Gregorio filio (2), ut quod pater Græca eruditione præſtitiſſet, filius in utraque lingua quaſi ex fœnore duplicatum reportaret: tantique apud Guarinum Victorini virtus fuit, ut quod ille optime poſſet ab alio quæreret, motus integritate præceptoris ac vita. Neque minores Victorino gratias agere, quod eo ſocio atque adjutore laborum ſuorum (nam hæc

(1) Latinas litteras, &, quas a Manuele Chryſolora ac Joanne illius nepote Byzantii Guarinus accepit, Græcas, Venetiis, Patavii, Veronæ, Tridenti, Florentiæ, Bononiæ, ac Ferrariæ tradidit; jamque ſcriptorum editione, ac diſcipulorum gloria nominis celebritatem eſt aſſequutus.

(2) Ex Guarini patris, & Franciſci Barbari Epiſtolis, Gregorium laudat Cardinalis Quirinus; qui Medicæ illum doctrinæ, Litteriſque Græcis ac Latinis operam egregie navaſſe demonſtrat. *Quirinus Obſerv. ad Ep.* CXIX. & CXX. *in Ap. ad Ep. F. Barbari.*

hæc propria Guarini laus erat) Græca lingua in Italia floreret : quod neque injuria factum videtur ; fuit enim diligentiſſimus ad eam cognitionem propagandam atque illuſtrandam. Hoc eruditionis novo genere clarior admirabiliorque factus, tum in ſingulis litterarum ſtudiis omni ex parte perfectus, nulla bonarum artium cognitione prætermiſſa, tam non laudari modo, ſed ferri ad cœlum ; quod homo in ea civitate novus, rei familiaris anguſtia preſſus, alieno ſæpe uſus cibo, ſine magna librorum copia, nonnunquam ſine præceptore, divinitate ſola ingenii fretus, nihil in omni doctrina intactum aut incognitum reliquiſſet. Itaque non diſcipuli tantum ejus eruditionis cupidi, ſed tota ad eum civitas confluebat, tanquam ad virum optimum ac ſapientiſſimum, dubiis de rebus conſultans. Ille in omnes liberaliſſimus nullo flagitatus præmio, præſto erat ; circulis, diſputationibus, frequentia doctorum delectabatur, non oſtentationis gratia, ſed virtutis, ſingulos ad interrogandum alliciens ; blande reſpondebat, ſæpe legebat gratis ; nullum denique genus laboris prætermittebat, quod ad publicam utilitatem pertineret. Hac tam inſigni gloria virtutum moti cives Patavini publicam mercedem inſtituerunt, qua Rhetoricam ac Philoſophiam legeret (1). Ille tergiverſari primo ac recuſare viſus eſt, de religioſa & quieta vita jam ſollicitus. Motus tandem juſtis civium precibus, firmatoque ad commune commodum animo, id enim convenire maximo viro arbitrabatur ; quum per ſe quiſque, ſi vellet, optimus in omni vita eſſe poſſet, pauci vero invenirentur publicæ utilitatis amatores, ſuſcepto legendi munere, ſtipendium de publico ac ce-

(1) In Gymnaſii Patavini Faſtis a Facciolato collectis ad an. 1422. Victorini nomen eſt. Non docuit ultra annum, ſeque Cathedra abdicavit, licentiam peroſus diſcipulorum, qui publicis in Gymnaſiis tum verſabantur. Delatum vero fuerat illi munus non a Patavinis civibus, ut ſcribit Auctor, ſed a Gymnaſii diſcipulis.

cepit, contubernaleſque habuit diſcipulos, a quibus, ſi potentiores erant, grandiorem pecuniam exigebat, qua tenuiores paſceret gratis, tantum eorum numerum accipiendo, ut ne quid ſibi ad communem victum deeſſet, aut ulla ex parte redundaret; maximum fieri quæſtum putans, ut quæ nullo præmio accepiſſet, eadem ratione redderet. Inde Venetias profectus, copiamque ſui faciens, eadem uſus eſt lectione (1). Egregium ea tempeſtate auditorem habuit Georgium Trapezuntium (2). Hic a Victorino prima Latinæ dictionis accipiens fundamenta, adjutus etiam quotidiano victu, erat enim ignotus atque egens, ita eſt in omni eruditione ac doctrina inſtitutus, ut clariſſimus inter noſtros Oratores habeatur. Multa conſcripſit volumina omni laude celebranda. Ornatus deinde pecunia, & favore præceptoris, ſummos adeptus eſt honores, factuſque ab Eugenio Pontifice Secretarius. Per ea tempora Joannes Franciſcus Gonzagienſis Mantuanos regebat, Princeps magnitudine animi, ac fortuna clarus. Is, ut erat ſapientiſſimus, quum de optima liberorum inſtitutione ſollicitaretur, nonnunquam de ea re diligentiſſime conſultabat. Monitus tandem a Patricio Veneto, quo tum familiariſſime utebatur (3) de vita

(1) Victorinum Venetiis Rhetorem egiſſe & antequam Patavii doceret, Franciſci Philelphi epiſtola ab Apoſtolo Zeno V. G. in diſſertationibus adducta, indicio eſt. *Joannem vero Marinum, Virum optima Reipublicæ adminiſtratione domi foriſque clarum, eundemque & juris, & Philoſophiæ, & litterarum bene peritum* inter diſcipulos hic habuiſſe, mihi jam conſtat.

(2) Patavii a Caſparino Barzizio, & Venetiis a Guarino Veronenſi & Victorino litteris inſtitutus eſt; quas poſtea Vicetiæ, Venetiis, Bononiæ, Romæ ac Neapoli tum doctrina tum ſcripto maxime juvit. Quicquid Latine ſciret, a Victorino profectum gratus alumnus profitetur in præfatione ad expoſitionem Orationis Tullianæ pro Q. Ligario ſæpius editam, in expoſtulatione adverſus Guarinum, & in opuſculo de ſuavitate dicendi, quod manu ſcriptum eſt in Bibliotheca Veneta D. Marci.

(3) Magna fuit Gonzagio cum Venetis neceſſitudo, a quibus

vita moribuſque Victorini, incredibili ejus hominis habendi deſiderio capitur; hunc per Venetum vocari ad munus filiorum jubet; de præmio ejus arbitratu agi. Invitatus ad eam rem Victorinus maxime in dicendo liber, admirari Principis ingenium dixit, qui ſe hominem antea incognitum ac novum, cujus neque vita, neque mores explorati eſſent, ad tam neceſſarium munus vocaret, nulla præſertim habita mercedis ratione; id eſſe multorum aucupium, ut quam plurimi poſſet, cuique ſe venderet. Percunctatus deinde de fortuna, ſimul atque illum audivit ætate, opibus, imperio florere: *Quam difficile*, inquit, *tantam a virtute regi licentiam*! Certior tamen factus de ſumma Principis integritate ac modeſtia, venturum ſe ſe promiſit, ea mente, ut ſi illum a ſuis moribus alienum offenderet, confeſtim abiret. Itaque Mantuam profectus, ſic orſus dicitur: *Etſi mihi diu antea ſtatutum erat, o Princeps, regias opes atque aulas fugere, nimium, ut arbitror, ambitioſas ac molles, quarum neque ego delicias pati ſciam, neque illæ meos fortaſſe mores; opinione tamen fretus tuum ingenium a meo non abhorrere; multa enim de te optima audita ſunt; vocatus venio, ut ſi ea ex me velis, quæ utroque noſtrum digna ſunt, non invitus faciam, neque diutius apud te futurus, quam virtus moreſque tui laudabuntur*. Ad hæc quum ille reſpondiſſet, motum ſe integritate hominis, ac doctrina, ut filios in eruditionem accipiat optare, qui præceptori ſimiles facti, ad ea inſtituantur, quæ filios Principum deceant: hæc ſi curare velit, ita eos traditurum, ut nihil ſibi reliquum in his faciat præter paternam pietatem ac nomen. Tacuiſſe aliquandiu Victorinum memorant, tantam admiratum modeſtiam, paulloque poſt, accipere ſe conditionem di-

bus pro munere imperatorio bene geſto ædibus ampliſſimis etiam donatus eſt. Veneti tamen nominis hoſtibus poſtea adhæſit.

dixiſſe, quum niſi optima de illo quæri viderentur. Interrogatus de mercede paciſcenda: Quam, inquit, ſtultum videtur ea de re diligentius agere cujus ſemper contemptor fuerim! Quod ſi etiam optarem, neque dubitandum in tanta principis liberalitate videatur: nam quid potuit ille majus, quam filios tradere omni auro digniores; aut ego carius accipere, qui ad virtutem propagandam venio, non ad pecuniam? Id ubi a Principe liberaliſſimo cognitum eſt, quanquam ei viginti aureos nummos in ſingulos menſes inſtituit; quicquid amplius peteret, non denegatum iri juſſit. Domus inde parari ſummo ſtudio cœpta ad uſum Victorini, diſcipulorumque: hæc jocoſa dicta eſt a picturæ varietate, quum in ea multæ ludentium puerorum imagines videantur. Ea primo ingreſſu Victorinus delectari viſus eſt: habet enim umbracula, & deambulationes, ut noſtis, optimas; quæ res maxime Gymnaſiis convenire putabatur. Inde illam mirari apparatu quodam regio nitentem. Conſpicatus deinde ſumptuoſiorem menſam auro argentoque onuſtam, ſupellectilem ambitioſam, complures miniſtros, adoleſcentes nobiles, ac terſos, odoribus & unguentis plenos, amictu pretioſo laſcivientes, indomitos, loquaces, adulatores; filios deinde Principis egregie ſine imperio veſcentes, obſonia, & artificioſos cibos quærere, ad ſaturitatem expleri, tempus in conviviis terere, otioſe ad ignem ſedere, ad multum diem cubare; cetera deinde vitiorum lenocinia timens, quibus aulæ regiæ corrumpi ſolent, indignatuſque nimium vivendi luxum, de reditu cogitare cœpit, veritus tantam peccandi licentiam nullo ſtudio aut labore vinci poſſe; futurum ut Princeps vana ſpe ludificaretur, & ipſe ignominioſam ſine fructu vitam ageret. Multa præterea in mentem venire prope ut acciderent neceſſaria, ſi aut imperioſus, aut parcus in filios Principis eſſe vellet; multos fore illius virtutis obtrectatores, præſertim quum ad aucu-

pium

pium ventris aſſuefacti, defraudari ſe beneficio illo dolerent; fore ut menſis odium multi concitent, frugalitatem pro avaritia, moderatum ac juſtum imperium pro inſolentia accuſaturi: nulla enim ſine invidia gloria eſt. Qua cogitatione diu fatigatus; multa enim huc atque illuc ancipitem ferebant animum; firmato tandem ingenii robore, maluit ipſe tantis objectari periculis, quam optimum deſeri Principem in maximo filiorum diſcrimine. Itaque manere ſtatuit, & optimum in tanto negotio conſilium capit, ut diſſimulando ſe ſe ipſe vinceret, paullisper vitia, naturamque aliorum ferens: futurum enim videbat, ut quiſque per impunitatem ac licentiam ſe ſe efferat, oſtendatque, omni macula quaſi veſte detecta. Ipſe tum odoratis omnium animis ac moribus, patefactoque vitiorum vulnere, ſingulos diligentiſſime ponderet, quo facilius cavere latens morbis poſſit: id per alium ſi curare velit, facile deceptum iri: quos indignos offenderit, a reliquo cœtu abigat, abducatque. Igitur Victorinus, exploratis diligentiſſime omnibus, paucos, uti quiſque optimus ac vitiorum inſolens fuit, ex magno numero eligit, qui convictu apud filios Principis utantur; ceteri benigne atque humaniter dimiſſi. Singuli deinde ad ſingula diſtributi munera; domus, diſcipulique ad frugaliorem cultum redacti; janitor in limine poſitus, ne quis ignaro præceptore aut admitteretur, aut egrederetur; curare ne quod maxime diſcordioſum ac petulans ingenium relinqueret ad occupandum ceterorum animos; cavere ne qua vitiorum opportunitas daretur; multa ad excitandam virtutem diligentiſſime parare; totus de illa ſermo fieri; ipſe polliceri multa; invitare ad bonos mores; flexibiles, & adhuc teneros animos blande allicere; ut jam ex tanto luxu nonnulla futuræ Academiæ veſtigia deprehendi poſſent. Ea dum agerentur, ignarum totius conſilii Principem fuiſſe conſtat. Ex quo facile perſpici potuit quam in-

vi-

victus, atque integer in Victorino fuerit animus, quum tantum tamque difficile onus aggredi inconſulto Duce auſus ſit. Quod ab eo factum duabus de cauſſis arbitror. Nam electio iſta hominum ſi ab ipſo Principe facta eſſet, periculoſior videbatur, ne amicitia, ut fieri ſolet, aut civium precibus motus (multi enim pro filiis deprecaturi videbantur) fortunam magis, quam virtutem, aut mores intueretur; tum ut ipſius Ducis inſpiceretur animus: ſi benigne pateretur, quæ præceptor optime feciſſet, intentior ad cetera illius animus futurus; ſi indignius ferret, eundum alio putare, neque in ea civitate manendum, in qua benefactum pro malefacto, virtus pro vitio habeatur. Quod ubi ad Gonzagienſem delatum eſt (multi enim, ut diximus, dimiſſi per indignationem atque odium fremere ac vociferari) ita eſt præclarum illud facinus ab eo comprobatum, ut difficile cognitu fuerit, utrum æquius laudares aut libertatem in Philoſopho, aut in Principe modeſtiam. Certior de omni re Victorinus factus, ubi generoſam Ducis mentem cognovit, pergere jam ad majora & duriora cœpit. Nactus eſt initio laboris ſui maximam augendæ laudis occaſionem. Erant tum ſuperiores Principis filii Ludovicus, pondere ac ſagina corporis onuſtus, & Carolus magno ac procero pectore, ſcilicet macilentus, & tenuis: alter in omni motu difficilis ac plumbeus; alter magnitudine ipſa incompoſitus atque ineptus. Laſciviam carnis aſtu atque arte ita caſtigavit, ut detracta in dies ciborum varietate (id enim maximum irritandæ gulæ adjumentum eſt) ad ſimplicem vivendi uſum deduceret. Unica menſa contentus, ea libere uti puerum initio paſſus eſt, adhibita quadam inter ſeveritatem, atque indulgentiam moderatione, ne delicatum, atque indomitum ingenium, admotis ſtatim calcaribus ac fræno, indigne atque immature violaret. Tum accitis interdum in ipſo convivio cantoribus, aut ly-

ra,

ra, aut novo quodam genere ſpectaculi, ita tenerum demulcebat animum, ut ſemivacuus nonnunquam ſua ſponte a menſa ſurgeret, nova delectatione captus. Quo factum eſt, ut paucos poſt menſes ſine ulla aſperitate ad optimam totius corporis formam reſtitueretur, cibique, ac potus abſtinentiſſimus fieret. Quod ipſe poſtea imperium noſtræ civitatis adeptus (1) in omni ætate diligentiſſime, ut nunc etiam videmus, ſervavit; ita ſuimet victor ac dominus, ut paucis diebus pingueſcere, atque inde extenuari optime poſſit, abjecta omni ciborum cura. Carolum in menſa numquam prohibuit; erat enim, ut dixi, maximus, ac multo indigens nutrimento; ſed interdiu nihil præter panem guſtare patiebatur, id eſſe optimum ratus ad componendum, firmandumque tantum corpus (2). Hæc quum e ſententia ſatis procedere, firmarique in dies puerorum animos videret, de litteris, ac moribus attentius cogitare cœpit; jam enim, ut ipſe dicere ſolebat, cultus, paratuſque ager videbatur ad ſemina virtutum jacienda. Igitur utrumque Latine Græceque ita erudiit, ut niſi doctiſſimos, probatiſſimoſque dimitteret. Extant nonnullæ ad familiares epiſtolæ, ut tum ætas patiebatur, optimæ; Vitaque Ageſilai Ducis, quam Carolus ipſe puer Latinam fecit. Cantu & fidibus etiam valuit, amœnitate vocis jucundus ac dulcis. Neque corpora ipſa deſerta, aut parum culta fuere. Nam ubi tenera ætas patiens laboris fuit, ſingulis diebus equitandi, jaculandi, luctandi, gladios apte regendi, arcu, pila,

(1) Mantuanos rexit Ludovicus ab an. 1444. ad an. 1478. *Vir rerum geſtarum fama, munificentia, ſplendore regio, pietate incolis accoliſque juxta commendatus.* Poſſevinus Hiſt. Famil. Gonzag. Lib. V. p. 617.

(2) *Tantæ diligentiæ fuit, ut non modo in adoleſcentibus vitia oris, ſi quid fuſcum, plenum, aſperum, contractum, durum, obtuſum ducerent, ad lenitatem, flexibilitatem, claritudinem, dulcedinem perduceret; verum etiam eorundem inceſſum, geſtum corporis, motum capitis, pedum, & manuum ad decorem & ornatum componeret.* Hæc de Victorino Platinenſis.

la, curſu certandi ſtudioſos reddidit: deinde cum æqualibus pugnare, bella, ut pueri ſolent, ſibi fingere, caſtrametari, expugnare loca, ſolem atque æſtum pati, clamore, ac pulvere miſcere omnia non prohibebantur. Nullum ipſe laboris aut moleſtiæ genus vitabat, quo diſcipulos in celebritate ac frequentia retineret. Quippe ſolitudinem in pueris fugiebat, maximum ad vitia lenocinium; multos enim fore ſuſpicabatur ambitionis, ac potentiæ cupidos, qui per occulta flagitia ſe ſe inſinuantes, gratiam apud filios Principis aucuparentur, indulgendo, atque improba deſideria clam fovendo. Itaque neque noctu, neque interdiu ab his diſcedere. Si qua neceſſitas dabatur, ſpectatæ virtutis ac fidei cuſtodes adhibebat; ſæpe enim dicere ſolitus eſt, neminem, niſi ſapientem, tuto ſibi ipſi poſſe committi. Audite quæſo divinam hominis prudentiam. Adoleſcentes duos quum ſecreto in loco colloquentes offendiſſet, & quid agerent ſolus cum ſolo interrogaſſet; at illi conſultare inter ſe de ſtudiis ſuis reſpondiſſent: *Non eſt*, inquit: *ſanum in pueris conſilium*, graviuſque verberibus affectos dimiſit, nullam in ea ſolitudine ſecuritatem eſſe putans. Ipſe autem præceptor, ut jam ad priora veniamus, diſcipulos in ipſo labore adhortari, propoſita gloriæ, ac præmiorum ſpe; nulli magis intentus rei, quam ut illos quotidiana corporum exagitatione delectaret, quo validiores facti, alacriores etiam ad ſtudia reverterentur, intermiſſione illa laboris conceſſa; &, quod maximi Philoſophus æſtimabat, pueros ab omni flagitio, ac turpitudine facilius averteret; qui tempus illud, quod otio, ac laſciviæ tradituri videbantur (nam hoc ipſum morbi genus adoleſcentes in primis torquet) optima in re collocarent, quaſi ceterorum obliti, propter præſentem delectationem. Agite, o filii, ſæpe clamabat, diſcite labores pati, quicumque humana gaudetis vita; nihil quippe eſt quod uſui magis eſſe poſſit ad

utramque fortunam ornandam, atque tolerandam. Nam difficultates multæ a nobis expectandæ ſunt; quæ ſi fortaſſe evenient, æquiores ad ſingula incommoda fietis: ſi pinguior fortuna erit, gaudebitis tamen beneficio veſtro, quum ea in vobis ſint bona, quæ nulla exigat neceſſitas. Stoicorum iſta ſententia non mea: genus hominum vehemens, ac mirabile; quod vos, o diſcipuli, ſequamini labore duce. Aut ſi horum tædet, concivem noſtrum audite:

Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Lubet hoc loco præclara hujus hominis verba commemorare. Interroganti diſcipulo cur ſe Mantuanum potius, quam Feltrenſem civem nominaret: Quia, inquit, majora Mantuanis debeo; nam ea, quæ me genuit, patria, mihi tantum vivendi; hæc civitas & mihi & multis bene vivendi cauſam dedit. Quod ego niſi ſumma Principis liberalitate aſſecutus plane viderer, melior mihi patria quærenda fuiſſet. (1) Hoc igitur ſtudio Victorinus effecit, ut quotidiano labore fatigati adoleſcentes Regii, velocitate ac viribus præſtarent; quos ille poſtea ſenex præ gaudio lacrymans, ut ſolebat, admirari, alterum Herculem, Achillem alterum nominans. Nam magnitudine ipſa corporis, atque

(1) Mantuæ laudes enumerat Victorinus in funebri quadam Oratione, fortaſſe pro Joanne Franciſco Gonzagio habita; cujus fragmentum Paulus Atavantius affert in Hiſtoria Mantuana his verbis: „ Victorinus Feltrenſis in Oratione funebri, Vir profecto & dicendi & agendi auctoritate in omni ſcientiarum & „ virtutum decore in noſtris temporibus ſine pari, nullo modo prætereundus eſt; ubi de laudibus originis Mantuæ in „ paucis verbis cum Virgilio tam alta exorſus eſt: „

O terque quaterque felicem
Stirpem Mantuæ, Tuſco de ſanguine vires!

Ubi Lydia quondam gens bello præclara. Tu dives avis, tu caput populis, tu in prima parte orbis, in pulcherrima Provinciarum omnium Italia, in fertiliſſima omnium Lombardia, quaſi alter Paradiſus deliciarum in terris, ex loci amœnitate, ex rerum neceſſariarum copia, & quod maximi faciendum ſit, ex hominum juſtitia & fide. Hæc Atavantius juxta Codicem Farſetianum.

atque animi prope æquales, virium, ac roboris pleni, domi, militiæque clari atque illuſtres fuere, duo, ut ita dicam,

fulmina belli,
Et magnæ decus Italiæ, ferroque ſuperbi,
Ambo florentes, & nati Principis ambo,
Et certare pares, & ſemper ad arma parati.

Nam quis Ludovico ſapientior, aut clarior? Quis Carolo fortior, quis manu promptior, quis equo, atque armis inſignior unquam fuit? Dum hæc a Victorino ſummo ſtudio curantur, magnus ad eum concurſus fieri, non ex Italia modo, verum ex ipſa Græcia, Gallia, Germania; nam ad remotiſſimas quoque gentes hujus hominis fama pervaſerat. Hic, etſi antea clarus inſigniſque fuerat, tum unus omnium maximus clariſſimuſque haberi cœptus, aliquanto etiam altior, quam humana ſors patiebatur; multi enim divinum, atque immortalitate dignum ingenium ſingulari quadam admiratione proſequebantur. Itaque ab omnibus coli, ac ſummæ venerationi eſſe, neque doctrina ſolum, ſed integritate morum, ac vitæ gloria. Igitur ex tanta hominum frequentia ad ſe confluentium maximam negotii bene gerendi occaſionem nactus, aliam ſibi domum parari jubet, in qua novi diſcipuli habitent: nam ad filios Principis nulli, niſi diu cogniti, ac purgati admittebantur. Nullum ad ſe venientium repellit, quantum cuique ſatis eſt ſubminiſtrat, libros undique colligit, lectiones adhibet, pauperes, pecunioſoſque juxta habet; niſi quod accepta ab his pecunia illos gratis paſceret. Si quid deeſſe ad victum ſuſpicabatur, munificentiam Principis experiri; nam antea nihil præter neceſſarium corporis ſui cultum optaverat: nonnunquam opulentos cives aggredi, ad ſocietatem ejus laudis incitans; a quibus etſi vacuus ſæpe redibat, nonnulli tamen ad tam pium opus alliciebantur: quicquid a ſingulis aut benigne acceptum, aut ab avaris extortum (hos

enim inſectabatur maxime) aut ſæpe mutuo traditum erat, ad ſuſtentandam diſcipulorum inopiam liberaliſſime convertebatur. Audite quæſo prudentiam hominis, ac gravitatem. Civis quidam avaritia notus, quum ab eo rogaretur hac ipſa cauſſa pecuniam tradere, graviuſque ille ferret, deterrendi hominis gratia dixiſſe in Victorinum fertur: Vereor, amice, ne alius animus atque vultus tibi ſint; nam paullo ante aurum pro hoſte habuiſti, id nunc avidus cupis, ac colligis. Cui Victorinus: Idipſum ſane facio non mea cauſſa, ſed tua: nam cum divitiis bene uti neſcias, ego, ut pro te melius utar, quæro. Dicenti, ſatis ſibi eſſe quod poſſet: Quanto, inquit ipſe, ſapientius videtur, ut velis! nam ipſum poſſe in manu fortunæ eſt, quæ tibi eripere hanc facultatem valet: verum ut nihil poſſis, non tua, ſed fortunæ culpa erit: ut nolis, tuum profecto vitium eſt. Rurſum perſeveranti, nolle ſe aliorum cauſſa inopiam ſuis parare, ſic reſpondit: Ubertatem, non divitiæ, ſed moderatus animus facit; nihil quippe cupienti parum eſt nihil. Dives ergo ſi fieri voles, nihil præter te ipſum appetes: cetera, mihi crede, impediunt & retinent in ſervitute animum. Hæc igitur ubi explorata Principi ſunt, certare palam de virtute cum Victorino viſus eſt; nunquam enim ille ab eo repulſus, pecuniæ quantum ſibi viſum eſt accipit. Hic magnitudine animi clarus, gloriæque in primis appetens, ne quid pio Philoſophi deſiderio deeſſet, moliebatur: ille augendæ virtutis cupidus, ne quid ſibi eſſet ſumma ope nixus eſt. O felicia, atque, ut ita dicam, aurea ſæcula! nam invitatio ad honeſta præmia ſummis viris, neque multa, neque præclara tum ingenia defuere. Igitur glorioſam amborum invidia, par in utroque animus, ac virtus fuit: quo factum eſt, ut altera inter Mantuanos Academia brevi conſtitueretur, numero ac varietate diſcipulorum florens. Sæpe enim eodem tempore ſe-

pties

ties deni diſcipuli a Victorino edocti nutritique ſine præmio fuere; neque una tantum eruditione: Nam præter optima litterarum ſtudia, quæ diligentiſſimus præceptor curabat, doctiſſimos habuit, quos mercede conduxerat, in ſingulis bonarum artium diſciplinis, atque exercitationibus magiſtros; quorum opera, uti ſinguli pro ingenio apti erant, accuratiſſime uſus eſt. Nam, ut ipſe dicere ſolebat, non omnia poſſumus omnes; neque alienum in tanta hominum copia videri debet, alium alio meliorem naſci: ſuum tamen cuique munus natura omnium dux atque comes oſtendit, nulli omnia, paucis multa, ſingula tamen ſingulis concedens. Quamobrem humana ingenia terræ comparabat; alia pabulo, ac pecori, alia vitibus ac frumento aptior; nulla enim, ſi colitur, pars in ſuo genere infructuoſa. Igitur quiſque, ut natura illum ad ſingulas artes ferebat, ab eo exercebatur. Indociles tamen non deſerebat, ad leviora opera dimittens, ne diſcipulorum quiſquam vacuus a liberalitate ac diligentia præceptoris fieret. Ea tempeſtate Gibertus Corrigius nobilitate clarus Victorino traditur, non tam ſtudiis, quam militia dignus. Itaque ad ea, quæ militarem gloriam accenderent, accuratiſſime incitatus ſumma præceptoris vigilantia, magnus tandem evaſit: neque ſine optima litterarum peritia; nam hiſtoriarum, & antiquitatum diligens auditor fuit. Hic jam inter claros duces haud injuria numerandus, miſerandum vitæ exitum tulit. Quippe eo bello, quod Jacobus Piceninus (1) in Etruria geſſit, Imperator Senenſium factus, interficitur (2). Ita

 vir

(1) Quæ ad Piceninum cognoſcendum potiſſime faciunt, habes a Porcellio Neapolitano in Commentariis de rebus ab eo geſtis, a Cl. Muratorio cum Scriptoribus Rerum Italicarum editis.

(2) Corrigius violatæ in Senenſes fidei reus, de ſua vero dignitate nimium fidens, Decemvirum Collegium adierat, grandem ſibi poſcens mutuari pecuniam. *Verum facto jam fine dicendi, aſſurgentem armata Senenſis pubes, impetu in eum facto, di-*

vir inſignis, ac ſtrenuus in ipſo felicitatis curſu interceptus eſt. Profectus ab eadem officina Gregorius Corrarius (1), Orator quidem ſuavis, placidus, in primis copioſus, ac facilis, ut quum ejus ſcripta legimus, naſci verbum ex verbo ſponte videatur. Ejus Orationes multæ, atque optimæ; ſed illa ad Cæciliam Gonzagienſem de Virginitate nihil uberius, aut gravius. Fuit integritate vitæ præceptori ſimilis; qui quum a Pio Pontifice Maximo objurgaretur, quod homo doctus, atque honoratus, (erat enim Protonotarius) Romanam Curiam deſeruiſſet: Non, inquit, Curiam fugio, ſed libidinem, ac faſtum; intemperantiam Curialium accuſans, cujus maxime impatiens fuit. Clamanti denuo Pontifici, id ſi facere pergeret, nullius apud ſe voti compotem futurum, ſic reſpondit: Nunquam, Beatiſſime Pater, repulſus a Tua Sanctitate abibo: hoc quidem nihil petiturus dicebat, ambitionis, ac potentiæ minime cupidus. Libera quippe vox, ac diſcipulo Victorini digna! Neque parum laudandus ejus diſciplinæ comes Baptiſta Pallavicinus (2), egregius Poeta, ſed maturius ad negotia ſe conferens; paullo qui poſt

diſtricto gladio, in media aula trucidavit, multis confoſſum vulneribus .... Ad comprimendum vero populi motum, cadaver per feneſtram in forum præceps datum eſt. Sic Auguſtinus Datus in Hiſtoria Senenſi, non quidem impreſſa, ſed in Farſetiano Codice ſcripta.

(1) A Victorino inſtitutionem ſe fatetur accepiſſe Corrarius in epiſtola ad Cæciliam Gonzagiam ab auctore commemorata; ubi de Ludovico Fertino Victorini diſcipulo, miræ indolis puero, & Latinis carminibus elegantiſſime pangendis aſſueto, nonnihil adjungit. Tragœdiam fecit *Progne* inſcriptam, in qua cum tota viſus eſt antiquitate certare; ipſeque Victorinus ut legit, præ gaudio illacrymavit. Satyras quoque Horatiano ſtilo ſcripſit, Victorino ex parte nuncupatas, & Bembo Cardinali valde probatas; quas legi in Codice manuſcripto Marci Cornelii Epiſcopi Vicetini.

(2) Parmæ familia nobiliſſima natus eſt. Poeſim quum adamaret, nonnulla cecinit de rebus Chriſtianis, quæ jam in luce ſunt. Præterea Cornelii Celſi de re medica Libros emendavit.

poſt Epiſcopus Regienſis factus interiit. Proximus huic Omnibonus Leonicenus (1), utriuſque linguæ peritiſſimus, eruditionis pater, oratione gravis, limatus, preſſus, ſeveritatis plenus. Hic defuncto præceptori poſt Jacobum Caſſianum ſucceſſit, a Ludovico Mantuanorum Principe, tuoque, o Alexander, germano conductus, cui tum parvi liberi fuere. Orto deinde inter Venetos ac Mediolanenſes bello, domum a ſuis revocatus eſt; nam tum Mantuani Duces Mediolanenſium partibus favebant. Ipſe adoleſcens Vitam Furii Camilli, Æſopumque fabulatorem latinum fecit. Inde quum ſe ad Vicetinos contuliſſet, maxime ad illuſtrandam eloquentiam intentus, totum ſe publicis lectionibus tradidit: quo in genere tanta verſatus eſt gloria, ut neque melior, neque clarior quiſquam dignitate, ac numero diſcipulorum inveniatur. Multa grandior natu conſcripſit volumina, ſummo Oratore digna. Multa etiam ex Atticis Romana tradidit. Joannem Chryſoſtomum de patientia Job, de virtute & officio, de jejunio, ſuper dictum Apoſtoli: *Gaudete in Domino ſemper*, de opificio hominis; Gregorium Nazianzenum de Nativitate Domini; Dialogum Athanaſii contra Arium, & contra Gentiles, de Incarnatione Chriſti, de Spiritu Sancto; Baſilium de Invidia, & ſuper dictum Euangelii: *Si vis perfectus eſſe*. Secuta eſt deinde inferior ætas copia & nobilitate diſcipulorum refertiſſima. In his Joannes Lucidus Gonzagienſis (2) tertius Principis filius, qui quum eſſet

D 4 cor-

(1) De viro doctrina & diſciplina celeberrimo id Blondus Forolivienſis in Italia illuſtrata notavit: *Leonicum Omnebono cive ornatur litteris Græcis Latiniſque apprime erudito, & præ ſe mores ferente, quos a Feltrenſi Victorino nutritus imbibit*. Eumdem Boniſolra familia ortum, qui nuper de Scriptoribus Vicetinis opus edidit, fuſe declarat.

(2) Ad hujus ingenium cognoſcendum apprime facit Ambroſii Camaldulenſis Epiſtola ad Coſmum Medicem an. 1435. ſcripta: *Dedit* (inquit) *Victorinus in conſpectum Principis filium*

corpore debilior, ſtudiis fortaſſe aptior, magnitudine animi non inferior certe fuit. Natura hunc Poetam, magis quam Oratorem, certe fecit; atque in hoc ipſo genere clarus evaſit, diligentia maxime præceptoris adjutus. Nam in Poeticis ita nobile ingenium exercebatur, ut nihil Virgilius ſcriptum reliquerit, quod ille memoria non cuſtodiret. Æneidem maxime coluit, eamque totam, diſtributis in ſingulos dies ſingulis libris (erat enim diuturnioris laboris impotens) memoriter atque optime recitavit. Itaque magna de ſe pollicebatur; qui niſi revocatus ab ea gloria eſſet, matureque ad Jus Civile dimiſſus a Patre, jam alterum Virgilium habitura noſtra civitas putabatur. Victorinus hoc ipſo tempore diſcipulum ſecutus, ipſius Juris Civilis auditor fuit: id enim convenire in primis Oratori arbitrabatur; utrumque vero maxime inter ſe conjunctum atque connexum; quum ipſa Legum cognitio magnum quiddam & amplum ac prope infinitum eſſet, quod niſi eloquentia munitum atque armatum non poſſet proprium decus majeſtatemque tueri. Reliquum eſt, ut de hoc noſtro Alexandro videamus. Hic minor natu cum ipſo Joanne Lucido fratre educatus atque eruditus, innocentia, integritate, religione, pietate, continentia clariſſimus omnium fuit. Puer in Græcis, adoleſcentior in Latinis, grandior in Sacris diſciplinis optime verſatus eſt. Ingenio mitis, verecundus, quietus ita præceptorem veneratus eſt, ut non minor illius

*lium Joannem **Lucidum**, puerum annorum quatuordecim, ab ſe educatum & eruditum. Recitavit ille verſus ad ducentos ab ſe factos, quibus pompa deſcribitur, quando Imperator Mantuam ingreſſus eſt, tanta gravitate pronunciationis, ut miraculum ſubierit mihi. Vix enim putem Virgilium, quum ſextum Æneidos, Auguſto præſente, recitaſſet, plus gratiæ in pronunciando habuiſſe. Carmen erat pulcherrimum; ſed addebat ſuavitas dicentis multum dignitatis & elegantiæ. Oſtendit Propoſitiones duas in Geometria Euclidis ab ſe additas cum figuris ſuis, ut æſtimare plane jam nunc liceat, quam ſit valiturus ingenio.* (Amb. Epiſt. 3. Lib. VII. Ed. Florent.)

lius abſentis auctoritas, quam præſentis fuerit. Sæpe enim ab æqualibus ad puerilia invitatus, ſi quid reprehenſione aut nota dignum advertiſſet, vix audire patiebatur. Interrogatus aliquando cur abſente præceptore dubitaret: quia ſemper illum video, reſpondit, quem ego mihi ante oculos propono, mearum omnium cogitationum ſpectatorem ac judicem. Non indignum hoc loco arbitror ſingularem ejus pueri modeſtiam laudare. Is quum a Victorino prohibitus eſſet, niſi impetrata in ſingulis potationibus venia, bibere (erat enim adverſa valetudine affectus) & ille haud præcepti memor ſitibundus bibiſſet; miniſtri vero innocentiam pueri commiſerantes, integrum poculum clam ſubminiſtraſſent, dolum pati noluit, currenſque ad Victorinum: Placet ne, inquit, præceptor, ut biberim? At ille cognita re, placere ſibi dixit quod mutari non poſſet. Riſimus omnes tantam in puero ſinceritatem. Neque prætermittendum cenſeo quanta in parentes pietate ac reverentia fuerit; quorum præceptis ita obſervantiſſimus filius obſecutus eſt, ut cum his nunquam in gratiam redire coactus ſit. Mater vero quum ex teſtamento patris rem, principatumque ejus minoris curaſſet, jamque beneficio ætatis uti, ſuique juris eſſe poſſet; nihil tamen in omni vita, niſi juſſu arbitratuve ejus facere voluit. Cum fratribus ita conjunctiſſime vixit, ut Ludovicum majorem natu parentem nominaverit, & coluerit. Cum civibus ita verſatus, ut non tam Principis germanus, quam æqualis videretur. Neminem unquam odio perſecutus eſt: inimicitias etiam injuſte provocatus nuſquam egit: amicorum ita ſtudioſus, ut quum ſcribendum eſſet, amicitiæ conſervandæ gratia, quod ille facere diligentiſſime ſolet, ſæpe inſomnes noctes duxerit. Injuriarum patientiſſimus, in dando ſplendidiſſimus, in accipiendo abſtinentiſſimus: munera enim, ſi parva ſint, non optanda viderentur; ſi magna, quum ab invitis dari ſoleant,

et-

etiam a bono viro fugienda. Juſtitiam primus omnium coluit, ſed miſericordia & manſuetudine temperavit, ut neminem capite punierit. Adverſos caſus moderatiſſime tulit, ut parentum mortem, funera optimorum fratrum etiam ſine lacrymis viderit. Subditos non ſolùm regere, ſed amare unice didicit. Nulli, præſertim oppreſſo, aditum ad ſe aut in convivio, aut in cubiculo interdixit; atque ut liberior pateret, neque janitore uti paſſus eſt. Id enim duabus de cauſſis fieri a magnis Principibus putavit, aut vitandi periculi cauſſa, ne incauti opprimantur, aut turpitudinis celandæ, ne in re parum honeſta deprehendantur: altero ſe non indigere, quum ipſe nullum timeat, qui a nullo timeri velit; alterum non optare, quum ita vixerit, ut nunquam a multis videri non erubuerit. Imitari ſe Romanos Principes velle dicit, quibus etiam in propatulo cœnare gloriosum fuit. Lites ſuorum libentiſſime diremit: litigia multa ſine litigatorum impenſa ipſe fecit. In menſa patientiſſime quoſcumque audivit: nihil opulentia ſubditorum carius habuit: amator ipſe paupertatis, atque in opulentiſſima fortuna indigentiſſimus vixit. Nam anno ſupra tria millia aureorum nummum quum ex auro vectigali redierint, prædia etiam habuerit, neceſſarii vero ſumptus modici (eſt enim ſine uxore ac liberis) nonnullam patrimonii partem ad ſuſtentandam multorum inopiam erogavit. Subditos ad concordiam, ad bonos mores, ad caritatem, ad religionem ſæpe convocata concione incitavit. Ipſe Dei timens, ac diligentiſſimus Religionis cuſtos fuit; ut ne minima quidem cæremoniarum obſervatio incognita illi fuerit. Nunquam, niſi divina re accuratiſſime diuque perfecta, aut ad negotia ſe contulit, aut cibum ſumpſit, aut cubitum ivit. Nihil alienum aut extorſit, aut cupiit: honores, divitias, ambitionem maxime vitavit: pudicitiam & continentiam ita coluit, ut præter paucos menſes, quibus cum optima

ma uxore fideliſſime vixit, nihil in omni vita culpa dignum admiſerit: mendacium neque ſerio, neque jocó, aut in ſe, aut in alio paſſus eſt. Principatum vero adeptus ita præceptoris dicto audiens fuit, ut nihil eo inconſulto fecerit; namque illum ſæpe ad res difficiliores invitavit, & ipſe non vocatus ſæpe venit. Nullius gravioris noxæ diu ſibi conſcius fuit: Philoſophos, ac bonos viros libentiſſime celebravit: nullum, ut paucis abſolvam, aut Chriſtiano principe, aut Victorini diſcipulo indignum facinus patravit. Totus, mihi crede, o Raymunde, in hoc diſcipulo Victorinus eſt; quem ſi recte contemplari velis, hunc ipſum reſpice; formam quandam & imaginem ejus aſpicies, quemadmodum in vitibus, inſertam atque renovatam. Eo ipſo tempore Federicus, Urbinatis Ducis filius, ad eandem eruditionem a patre omnium ſapientiſſimo, ac moderatiſſimo Principe (1) miſſus eſt. Ipſe magnitudine animi, atque ingenii clariſſimus, forma etiam & cultu corporis venuſtiſſimus fuit. Decora enim facies, ac regia oris majeſtas neſcio quid ſupra, quam dici poſſit, auguſtum ac regium de ſe nobis pollicebatur; & altitudinem illam generoſæ nobilitatis pudor quidam virgineus comitabatur, moderationis ac ſuavitatis plenus; ut nihil omnino fingi a natura poſſet aut elegantius, aut præclarius. Multos equidem audivi humana illum ſorte admirabiliorem ſuſpicantes, quum in ipſa ætatis teneritate, nulla, niſi divina, mens tantis virtutibus ornari poſſe videretur. Memini etiam noſtra in civitate magnos ſæpe civium concurſus fieri, qui admiratione tam maturæ indolis capti, ad eum contemplandum in curiam proficiſcebantur. At ille regium atque excelſum animum ſingulari humanitate temperans, ſingulos benigne appellans, neminem niſi humaniſſime ſalutans. Sæpe ob-

(1) Guido Antonio Feretrio, a quo illegitime Fridericus genitus eſt.

obviam procedens, ita omnium animos atque oculos allicere ſolebat, ut nihil præ urbanitate illa glorioſum atque illuſtre putaretur; neque facile cognitu eſſet, utrum libentius laudares majeſtatem, an modeſtiam. Quibus dotibus excellens quum eſſet, magnam apud omnes gratiam adeptus, haud minorem poſtea in Græcis Latiniſque litteris gloriam aſſecutus; neque melior, neque præceptori carior diſcipulus fuit. Hunc igitur Victorinus maxime ſibi colendum ſuſceperat agrum, ut ipſe dicere gaudebat, fertilem ac meſſis plenum. Sæpe etiam in eum jocari ſolitus erat: Nunquam me puer iſte ſine lacrymis dimittit; ingenium atque indolem ejus collaudans (nam ipſe, ut paullo poſt dicemus, nunquam niſi delectatione virtutis collacrymabatur) erat enim Federicus ingenio celer, promptus, acutus, copioſus, in pronunciando maxime decorus atque elegans. Vox quippe jucunda & canora, atque, ut verbo Ciceronis utar, cygnea; quam & dignitas ipſa corporis atque oris egregie commendabat, & rubor quidam ingenuus initio dicendi conciliabat auditores. Magna vero laus erat quod ipſe diu in eodem veſtigio recitans perſeverabat, invictum ſimul & animum, & corpus ſignificando. Illud etiam admiratione dignum, quum puer admodum pugnas & bella de more caneret, aut præclarum aliquod facinus audiret, aut legeret, voce, vultu, geſtu, clamore denique ipſo ita ſubſequebatur, ut jam arma capere, atque pugnatores imitari videretur. Africani vero vitam legens, quum illum prima ætate Imperatorem factum cognoviſſet, indoluiſſe primo fertur, mox ad Victorinum converſus Poetæ carmen verbis paullum mutatis dixiſſe:

en erit unquam
Illa dies mihi, qua liceat mea cernere facta?

Interrogatus quidnam doleret: Scipio, inquit, adoleſcens exercitum duxit; ego paullo immaturior nondum milites, aut caſtra vidi. At præceptor diſcipulum

lum conſolatus : Nolo te Scipionem , ſed Alexandrum, reſpondit ; fuit enim , ut tu , principis filius , & ipſe princeps clariſſimus . Sæpe etiam pueri caput demulcens, gloriari viſus eſt : Tu quoque Cæſar eris. Epiſtolam ad patrem in hanc fere miſit ſententiam : Federici tui divina indoles eſt . Hunc ego , quantum in me erit , Philoſophum tibi reddere conabor. Quantum conjectura capio , natura , virtuſque ſummum eum ducem facere conatur . Quare te hortor, talem filium ne deſere, neque minoris , quam ego, æſtima . Veniet , ni fallor, tempus, quo ille omni laude cumulatus, Imperator ſolus in Italia reperietur . Hunc , ſi me audis , fove atque orna , qui rebus geſtis , ac gloria & te , & ipſum poſteritati conſecrabit . Vale . Neque nos, o Victorine , præclara tua vox fefellit . Quis enim inter primos Italiæ duces aut bello clarior , aut conſilio melior , aut imperio dignior ? Quis domi mitior ? Quis continentior ? Quis illis laudibus , quæ divino Principe dignæ ſunt , liberalitate, clementia , magnitudine animi, ſapientia excellentior, caritate in patriam , benevolentia in cives , amore in ſuos ferventior ? Audite quæſo inauditam cum in Principe moderationem , tum in civibus benevolentiam . Mortuo ejus germano tum Urbini Duce (1) (nam, ut noſtis , noctu in aliena domo deprehenſus , a civibus interfectus eſt) quum anxia civitas novi eligendi Principis conſilium caperet, multi vero delendam eſſe veterum Ducum memoriam putarent ; fore enim ſuſpicabantur, ut Federicus, ſi ad Principatum admitteretur, & fraterni ſanguinis injuria , qua vehementer affectus erat, & immoderata ulciſcendi libidine in cives concitaretur ; incredibile memoratu eſt, quam repente inſperata quædam lætitia , ſimul ac ſpes , & alacritas ani-

(1) Oddo ſcilicet Antonio, *qui quum per libidinem in matronas debaccharetur , nec modum licentiæ faceret , populari tumultu interfectus eſt* · Pius II. De Europa Cap. 61.

animorum, veluti e cœlo demiſſa, ſingulorum animos occupaverit; inde, clamore exorto, hunc unum eſſe imperio tanto dignum, atque hunc Ducem, hunc Principem, hunc parentem ab omnibus optandum, una omnium vox, una mens, unus animus, unus conſenſus fuerit. Illud admiratione ſumma dignum, quod intra unius diei ſpatium & Urbinum ab eo acceptum eſt, & ceteræ quoque urbes, & oppida, ut arbitror, ſupra ducenta, quæ nunc ditioni ejus parent, per legatos a ſingulis miſſos, ſe ſuaque illi omnia tradidere. Quis hoc, niſi Divino conſilio, factum putet, tam innumerabiles, tamque inter ſe disjunctos populos in hunc unum Principem tam repente conſentire potuiſſe, quum in ipſa temporis brevitate, non dicam conſilii capiendi, ſed cogitandi, dari vix facultas potuerit? O felicitatem prædicandam non ſolum noſtris, ſed omnium ætatum ſæculorumque laudibus atque monumentis! Multos equidem fortuna Principes fecit; ſola te virtus facere didicit. Domuiſti cives non potentia, aut crudelitate, ſed admiratione quadam ſplendoris tui; quodque rarius eſt, iratum adhuc animum in ſumma licentia continuiſti. At fraternæ cædis ultor acerrimus, neminem tamen niſi juſte, niſi conſulte, niſi moderate, niſi mature vindicaſti. Imperium virtute partum virtute retinuiſti, auctum ornatumque rebus bellicis lucupletaſti. Quid de ſingulari ejus fide dicam? quæ tanta quidem eſt, ut illam ſæpe antepoſuerit vitæ. Nam, ut innumerabilia ejus laudis exempla prætermittam, teſtis eſt Ferdinandus Siculorum Rex, qui quum Gallicis armis oppreſſus eſſet, jamque actum de Regno videretur; hic prope ſolus amicitiam ejus ſequutus, ita in fide ſanctiſſime perſeveravit, ut vel maximo capitis ſui periculo, pro incolumitate Regis, dimicare non dubitaverit: nec ante illum deſerere paſſus eſt, quam Gallorum potentiam victor extinxerit. Neque prætermittendum cen-

cenſeo quanta in Franciſcum Sfortiam munificentia & caritate uſus ſit: quem quum duo totius Italiæ potentiſſimi Principes, Eugenius Pontifex, & Alphonſus Aragonum Rex infeſtis armis perſequerentur; at ille jam opulentiſſimo Principatu ſpoliatus, Piceno expulſus, pecunia, milite, commeatu exhauſtus, a ſociis deſertus, omnique humana ope deſtitutus eſſet; hic noſter Princeps veteris amicitiæ memor, Franciſcum in urbem ſuam liberaliſſime ſuſcepit, exercitum aluit, rebus omnibus ornavit, neque ſe tam ancipitis periculi ſocium, virtute, non fortuna, ejus Principis motus, facere dubitavit. Cogita, obſecro te, Federice, qualem hæc tua liberalitas ac munificentia exitum quodam, ut ita dicam, fato conſecuta ſit. Ille enim per te ſalutem adeptus, tuis opibus, tuo conſilio, tua ſapientia conſervatus atque ex faucibus potentiſſimorum hoſtium ereptus, mortuo Philippo Mediolanenſium Duce, in Galliam profectus eſt; generque locupletiſſimum ſoceri principatum ita eſt adeptus, ut paucis fere menſibus ex infeliciſſimo ac ſeminudo Imperatore, beatiſſimus ac florentiſſimus Italiæ Dux evaſerit. Quid hoc tibi majus? quid præclarius? quid excellentius potuit accidere? Quoties enim Franciſcum tuum in tanto rerum faſtigio, tantaque fortunæ indulgentia conſpexerimus, toties tuorum erga ſe meritorum memoria reviviſcet, toties de tua magnitudine, ac liberalitate, toties de tua laude nobis gloriari licebit; nec ulla unquam ætas, nulla gens, nulla natio tuum hoc tam præclarum atque inſigne beneficium ſilentio præteribit, niſi fortaſſe immemores, atque ingrati reperiantur. Libens in tuis laudibus commorari cupio, inviđiſſime ductor: multa enim fortiter, multa ſapienter, multa feliciter, multa generoſe abs te dicta, factaque commemorari poſſunt, quæ te nobis Divinum, ac tuomet ſplendore glorioſum reddent. Tua enim ipſa ſunt, tibi a natura infixa, tecum

nata,

nata, tecum nutrita: nihil ſibi ex his fortuna occupat. Nec alium habes laudum tuarum participem, quam Victorinum; ſed ita participem, ut quantum tu ex eo ornamenti cœperis, quod certe magnum fuit, tantum ille ex tuo ſplendore capere videatur. Nam quum ipſe te ad hoc natum, jamque ad ſumma omnia paratiſſimum diligentia ſua coluerit, illuſtraverit, ornaverit; tu illum divinitate quadam, ac magnitudine innumerabilium virtutum tuarum, immortalem apud poſteros reddidiſti (1). Vivent enim, Dux feliciſſime, vivent, inquam, laudes ipſæ tuæ multorum ſæculorum memoria ſempiterna. Quæ quum tantæ ſint, ut vix cogitatione conſequi poſſimus, in aliud tempus, ſi ita vobis placet, o viri, differamus; aut, quod rectius arbitror, præclarum hoc munus magnis Oratoribus concedamus. Nunc, ut propoſitum nobis eſt, ad Victorini diſcipulos revertamur. Coſimus Melioratus ex Firmano Principe (2); Thaddæus ex Faventino (3) genitus, ambo tibi, o Alexander, neceſſitudine ac ſanguine conjuncti, prior ex amita ſobrinus, alter ex patris tui ſobrino natus, uterque moribus ac litteris inſignis fuit. Ille tamen vix adoleſcens militarem gloriam ſub Nicolao Picenino ſecutus, jamque paternum regnum prius a patre amiſſum, virtute ac magnitudine animi recuperaturus, immaturo fato præventus cadit; & ante illum

(1) Suam etiam in præceptorem pietatem Fridericus declaravit poſita in ampliſſimis ædibus a ſe Urbini exſtructis Victorini imagine, & hoc monumento

VICTORINO FELTRENSI
OB HVMANITATEM
LITERIS EXEMPLOQUE TRADITAM
FEDERICUS
PRAECEPTORI SANCTISSIMO
P.

(2) Ludovico Meliorato, Innocentii VII. S. P. nepote, ab eo Piceni & Firmi Principatibus donato.

(3) Guidatio Manfredio.

illum fortuna eripit, quam ullum glorioſi laboris fructum ceperit. Faventinus etſi admodum puer a patre revocatus eſt, diligentia tamen præceptoris, ſuaque virtute floruit. Multi per ea tempora nobiles etiam diſcipuli fuere, Mantuani, Veronenſes, Veneti, Bergomates, Florentini. In his Gabriel Cremenſis, clariſſimi, ac liberaliſſimi Equitis filius. Dii boni! Quale huic ingenium fuit, & litteris aptum & moribus, qua eloquentia vir, qua manſuetudine, qua modeſtia! Nihil noſtra Civitas aut urbanius, aut ornatius tulit. Joannes Franciſcus Blancus, nobilitate ac genere clariſſimus, forma etiam & magnitudine corporis, atque animi ornatiſſimus; qui quum adoleſcens utriuſque linguæ cognitionem apprime imbibiſſet; diligentiſſimus tamen præceptor fervidum ac præſtantiſſimum ingenium, cujus ætas, atque animus ferox erat, exercitationibus ac laboribus corporis confirmavit. At ille paullo poſt caſtra ſequutus, maximam in eo genere gloriam adeptus eſt; equo ſupra quam dici poſſit inſignis, pedibus velox, manu ſtrenuus, conſilio bonus. Sæpe cum hoſtibus feliciter ac generoſe pugnavit, ſæpe exercitum duxit, ſæpe ſingulari prælio certavit, multa, & glorioſa facinora patravit, quodque in caſtris rarum eſt, nunquam fidem violavit. Joannes Franciſcus ex vetuſtiſſima Suardorum familia (1) in primis eruditus, mature ad Jus Civile ſe contulit, ejuſque ordinis inſignibus ornatus; inde equeſtrem ſplendorem adeptus, gubernandis, ornandiſque ſummis Magiſtratibus clarus emicuit. Totam fere Italiam magna ejus rei gloria peragravit, ſuumque, ac præceptoris nomen glorioſum reddidit. Florentinorum ac Senenſium Prætor ac Præſes ſine intervallo fuit: quod quum legibus Etruriæ prohiberetur, ſumma tamen integritas, fi-

E des,

(1) Ex hac ipſa gente Balthaſſar quidam a Victorino inſtitutus eſt; qui, quum Præceptoris memoriam pie ſancteque coleret, Platinenſi ejus Vitæ deſcribendæ auctor fuit.

des, juſtitia, continentia (quæ ille omnia a præceptore ſuſceperat) hujus auctoritatem viri patriis legibus antepoſuit. Ludovicus Turriger & generis antiquitate, & virtute præſtantiſſimus, ejuſdem diſciplinæ lacte aliquandiu nutritus eſt; cujus præclarum ac nobile ingenium tum egregia indoles bonæ ſpei plena plurimum ea tempeſtate floruit. Namque in omni litterarum genere doctiſſimus, maxime ad dicendum natus, atque ab ipſa natura inſtructus, Orator copioſus, lenis, urbanus evaſit. Inde patris Juriſconſulti elegantiſſimi, tum Equitis lautiſſimi veſtigia ſequutus, quum egregiam Legibus operam dediſſet, multos adeptus eſt Magiſtratus; tantaque in eo genere gloria verſatus eſt, ut neque integrior, neque juſtior, neque continentior, aut humanior quiſquam fuerit. Venio nunc ad eos, qui totam ex litteris gloriam quæſivere, otio ſtudiorum ſuorum contenti, quorum omnium princeps noſtra ſententia eſt Antonius Beccharias Veronenſis. Nam (quod in paucis accidere ſolet) Oratoriam, Poeticamque dignitatem aſſecutus. Dii boni! Quanta in eo dicendi facilitas! Adoleſcens elegos amavit, Phyllidis cantavit Amores, in ſcabioſum quendam verſibus jocatus eſt; nihil aut venuſtius, aut dulcius, quam quum illum prurientem, ac ſe unguibus lacerantem pingit. Multa etiam ex Græcis Romana reddidit, Dionyſium de ſitu orbis, Librum Ariſtotelis Magnorum Moralium, de rebus mirandis, de Vitiis & Virtutibus; Vitas ex Plutarcho XI. Romuli, Theſei, Solonis, Demetrii, Agidis, Cleomenis, Pelopidæ, Coriolani, Alcibiadis, Timoleontis, Eumenis; nec non Athanaſii plura volumina contra Arianos. Idem ſtudia humanitatis contra infeſtiſſimos eorum obtrectatores adeo acerrime atque eloquentiſſime defendit, ut nulla in eo aut pugnaciſſimi defenſoris, aut elegantiſſimi Oratoris ornamenta deſiderari poſſint. Sed mite ac placidum ingenium gravior fortuna comita-

mita-

mitata eſt. In Britanniam inſulam profectus, magni Principis (1) amicitiam, atque opes adeptus eſt. Orta deinde Regi ſuſpicione Regnum ab hoc ipſo Principe patruo ſuo affectari, miſſi ſatellites illum noctu clam necaverunt. Mortuoque Antonii domino, quum amici ferro peterentur, hic noſter barbarorum manus effugere vix nudus potuit. Æquo animo, Antoni, patere: quod ſors dederat, eripuit: quod à Victorino acceperas, virtutem, integritatem, gloriam retinuiſti. Magnos ſæpe viros calamitas afflixit. Cæſar a piratis captus eſt: Plato, Diogenes, Cæcilius Poeta ſervi fuere: Socratem venenum bibere ſua virtus compulit: Seneca Neronis crudelitatem tulit: Scipio exul interiit. Difficile, crede mihi, eſt fortunam cum virtute habitare. Tu tamen in patria honoratus, cum Hermolao tuo (2) vivis, Præſule omnium ſapientiſſimo, liberaliſſimo, nobiliſſimo; quodque conſolari maxime te debet, eloquentiæ, bonarumque artium ſtudioſiſſimo: ipſa enim bene dicendi ratio atque copia tanquam hæreditaria in ejus familia eſt à Franciſco Barbaro (3) patruo ſuo relicta, viro quidem Patricio, ac Senatorio, rebuſque geſtis clariſſimo, atque Oratore elegantiſſimo. Jacobus Caſſianus (4) in Phyſicis, in Ma-

E 2 the-

(1) Fuit hic Humphredus Gloceſtriæ Dux, probitate ac litterarum patrocinio præſtantiſſimus. Antonius autem, de quo multa hic Auctor habet, ex Maffeji, ac Mazzuchelii ſcriptis etiam innoteſcit.

(2) Barbaro, juriſprudentia, & litteris Græcis ac Latinis inſtructiſſimo.

(3) Barbarus Victorino ſe familiariter uſum eſſe, ac Franciſcum Claricinum Forojulienſem, egregiæ indolis adoleſcentem, ei erudiendum dediſſe, in epiſtola, quæ cum aliis ejus multis apud me manu ſcripta eſt, plane teſtatur.

(4) Hic, ni quidem fallor, Jacobus ille Cremonenſis eſt, quem eloquentia valuiſſe, Philoſophicas & Mathematicas diſciplinas haud ignoraſſe, & Archimedis ac Diodori Siculi Libros Latinis litteris reddidiſſe, Facius in libello de Viris illuſtribus refert. Eundem Cremonæ ac Ticini artes humaniores tradidiſſe, memoriæ proditum eſt.

thematicis, in Dialecticis magnus, defuncti præceptoris locum tenuit, libris ejus juſſu potitus (1). Inde ad Nicolaum Pontificem profectus, multa ex Græcis Latina fecit; paulloque poſt adverſa valetudo illum ſibi, ac nobis intercepit. Atque in hoc diſcipulo magna Victorini laus apparuit. Erat enim ille Religioni obnoxius, quem neque jus, neque fas niſi Religioſis in locis habitare patiebatur. Miſſus igitur ad Eugenium Pontificem, impetrandæ veniæ gratia, ut apud Victorinum eſſe poſſet, ſimul atque rem Pontifex audivit: Vade, inquit, o fili, totum te huic Philoſopho libere tradimus, quo nulla melior eſt Religio, nulla ſanctior. Idem Pontifex quum obvolutum ad ejus pedes Victorinum vidiſſet, nomenque interrogaſſet (nam antea hominem non viderat) ubi eum eſſe cognovit: Quantus, inquit, anguſto in pectore viget animus! Inde ad familiares converſus: Niſi, inquit, Pontifex eſſem, huic tanto viro libens aſſurgerem. Saxolus Pratenſis totus, ut ita dicam, ex

(1) De Victorini Bibliotheca ita Caſtillionæus: *Erat Victorino bonorum librorum magna copia; quos tamen auditoribus, aliiſque litterarum ſtudioſis, pro voluntate petentium liberaliſſime accommodabat*. Nec tantum commodabat, ſed ſponte largiebatur: cujus rei indicio eſt Codex Laurentianus variorum Xenophontis operum, quo Saxolum Pratenſem, quum eum Gymnaſio dimitteret, donavit. At de Victorini libris audire præſtat Ambroſium Traverſarium Camaldulenſium Antiſtitem, qui quum ſui Ordinis Cœnobia per Italiam luſtraret, ac monumenta litterarum omnia rimaretur, an. 1433. eos excuſſit. Ait enim in Hodœporico: *Adire illum* (Victorinum) *viſendæ Bibliothecæ illius gratia, ubi perreximus, occurrit nobis cum Mantuani Principis filiis, quos inſtituendos acceperat, aliiſque nobilibus ac ſtudioſis; abque iis omnibus deducti, expoſitam Græcorum voluminum ſtruem evertimus, ibique nonnihil peregrinitatis offendimus. Nam præter iſta communia Platonis, Plutarchi, Demoſthenis, & ceterorum tum Philoſophorum, tum Oratorum, tum Poetarum, tum Hiſtoricorum; Orationes quaſdam Juliani Cæſaris, Homeri Vitam ab Herodoto ſcriptam, Quintiliani Muſicam, & alterius ſenis* (Bacchii) *de Muſica opus, & Auguſtinum de Trinitate, & quædam alia notavimus, eaque protinus Nicolao noſtro per litteras ſignificavimus, Victorini ipſius amiciſſimo*.

ex Victorino factus, maximus divitiarum contemptor, paupertatem in primis amavit; qui quum ſæpe neceſſariis indigeret, ita gloriari ſolitus erat, ut nunquam voti ſe compotem futurum diceret, niſi præceptorem patientia ſuperaret. Objurgatus ab æqualibus quod ſemifractos ac debiles calceos haud invitus ferret: Si melioribus, inquit, gauderem, haud Victorino dignus eſſem. Fuit Orator bonus, ornatus, nulla in re non laudandus, magnus antiquitatis inveſtigator. Commentariolos quoſdam fecit maxime ad dicendum utiles; nam quicquid Græci, Latinique doctores eleganter, ornate, copioſe ſcriptum reliquerunt, breviſſime in hos congeſſit libellos, ſingula etiam genera dividens: quos quum libros volveret, nihil dicere volenti quacumque de re ad imitandum defuit. Quid agis, Saxole, cum libellis tuis? interrogatus: Flores, inquit, ex hortulis Philoſophorum colligo. Luculentam ſcripſit Orationem de laudibus Victorini: ſed ea, ut arbitror, cum auctore periit (1). Ipſe poſt mortem præceptoris adhuc vagus, nullo ſtudiorum ſuorum fructu potitus, in ea, quam amaverat, egeſtate, peſtilentia conſumptus eſt. O miſeram tam præclari ingenii conditionem! Franci-

(1) Neutiquam periit Oratio, ſeu potius Epiſtola. In lucem immo prodiit per Viros clariſſimos Urſinum Durandum ac Edmundum Martenium in Collectione Veterum Monumentorum ampliſſima; ejuſque eſt mihi ad manus etiam exemplum a Codice Mſ. Strozziano, Thomæ Joſephi Farſetii, Equitis dignitate litteriſque præſtantiſſimi, cura deſumptum, quo textus in editione corruptus paſſim emendatur. In ea vero opella totus Saxolus eſt, ut, quam ſervabat Victorinus, Inſtituendæ juventutis rationem, contra obtrectatorem quendam vindicet; quoad præcipue Arithmeticam & Muſicam, quibus, juxta ac reliquis Mathematicis artibus, diſcipulos ut imbueret, magnopere curabat. Fecit Saxolus & Latinam interpretationem Herculis Xenophontæi, quæ manuſcripta inter Vaticana exſtat. In dementiam tandem lapſus, Hieronymo Aliotio teſte, mortem ſibi conſcivit.

ſcus Caſtillionenſis (1) præter utramque linguam, cujus ſcientiſſimus eſt, ſingularem continentiam, integritatem, modeſtiam, frugalitatem reportavit. Nunc in ſacris voluminibus apprime eruditus, primum inter Florentinos Doctores, in quibus maxima excellentiſſimorum ingeniorum copia eſt, locum obtinet; quodque præclarum in primis eſt, tantam maximarum rerum cognitionem ſumma etiam ornat eloquentia. Nihil, mihi crede, o Raymunde, aut urbanius, aut mitius. Joannes Petrus Lucenſis ſummi vir ingenii, quo nemo rectius aut noſtram, aut Atticam tenuit elegantiam, diligentiſſimus Latinitatis obſervator, legere magis, quam ſcribere cupiit. Venetiis publice docens, podagra periit (2). Theodorum Theſſalonicenſem (3) natura ſimul, & ſumma præceptoris diligentia in primis ornavit: Romanæ enim dictionis penitus ignarus, vix conſumpto apud Victorinum triennio, tantus evaſit, ut pauci poſtea doctiores Oratores inventi ſint. Petrus Piſanus (4) Mathematicis obſcuritatibus, ac ſiderum moti-

(1) Scripſit is de præceptoris vita libellum partim editum cujus quoque exemplar ex Codice Laurentiano ſumptum, ut mihi hæc ſcribenti præſto ſit, Farſetius Eques, pro ſuo in Victorinum ſtudio, in me vero ſumma humanitate, fecit. Poſtremis octo Victorini annis ſub eo, quem Sancto Antonino comparare non dubitat, ſe profeciſſe, Caſtillionæus initio libelli teſtatur.

(2) In patria diem obiiſſe Manſius ad Fabricii Bibliothecam Latinam mediæ & infimæ ætatis notavit, ubi & alia de docto homine protulit. Sane Joannes Quirinus in Oratione pro Benedicti Brugnolii obitu, Lucenſem, quod valetudine adverſa uteretur, Venetos docendi munere ſe abdicaſſe, teſtatur.

(3) Theodorus Gaza in Victorini Gymnaſio Græca docens, Latine doctus eſt, eamque laudem eſt aſſequutus, quam e Græcis litterarum in Italia inſtauratoribus alius nemo tulit; quod nempe lingua utraque elegantiſſime ſcriberet.

(4) Petrum Balbum inter Victorini diſcipulos numerat Platinenſis; quem civem fuiſſe Piſanum, Epiſcopum Nicoterenſem, deinde Tropejenſem factum eſſe, ac litteris claruiſſe, ex allatis a Mazzuchelio patet.

motibus delectatus eſt. Andreas Vegevenus (1) in ſingulis diſciplinis clarus. Baldus Martorellus (2) in omni doctrina diligentiſſimus, ad eruditionem filiorum a Franciſco Mediolanenſium Duce vocatus, maximam in ea re gloriam aſſecutus videtur. Gabriel Concorigius (3) ac Petrus Manna (4) duo inter noſtri temporis Grammaticos, ac Rhetoricos probatiſſimi; alter Cremonam, Brixiam alter occupavere, maximoque diſcipulorum concurſu glorioſi celebrantur. Poſt hos omnes profectus ad Victorinum eſt Bernardus Brenzonus Veronenſis præclarus adoleſcens, optimi, atque acutiſſimi ingenii; qui quum bene dicendi, beneque intelligendi laudem maximam aſſecutus eſſet; majora tamen animo concipiens, Juris poſtea Civilis, ac Pontificii cognitionem adeptus eſt ſingularem. Qua in re non doctrina ſolum atque intelligentia, quibus ceteros excellit; ſed integritate, fide, ſinceritate (id enim præcipuum eſt Juriſconſulti ornamentum) probatiſſimus, atque eruditiſſimus habetur. Nicolaus Perottus (5) ho-

 rum

(1) Non alius hic mihi eſt a Joanne Andrea Buxio Viglevanenſi, qui Accienſis primum, deinde Alerienſis Epiſcopus factus, antiquos Scriptores multos recenſuit, ac Romæ vulgavit; in præfatione autem ad Titi Livii Hiſtoriam Victorinum ut præceptorem, ac parentem ſummis laudibus celebravit.

(2) Picentinus, qui Hyppolitæ Sfortiæ vicecomitis inſtitutione potiſſimum claruit, ejuſque in gratiam Grammaticæ ac Rhetoricæ præcepta ſcripto expoſuit. Virorum illuſtrium vitam forte deſcripſit.

(3) Mediolanenſis hic ingenio & eloquentia, fide ac prudentia Franciſco Barbaro acceptus, *Brixienſes armis feroces, artibus quoque pacis ornare ac illuſtrare publice contendit*. Barbarus Ep. CCXL.

(4) Cremonam patriam hic maxime juvit, ornavitque publica litterarum profeſſione per annos ſaltem quadragenos; & quidem tanta nominis celebritate, ut ab extremis Galliæ Ciſalpinæ finibus, ad eum concurſus fieret, ab illuſtrium quoque Principum filiis.

(5) Ex iis, qui ſub Victorino bonis artibus operam dedere, hunc maxime omnium judicio communi profeciſſe, ſcribit

Fa-

rum omnium natu minimus, dignitate maximus, poſterior tamen diſcipulus, poſtremo loco poſitus eſt, ne quid temporum ordines perturbarentur: nam ut quiſque prior acceſſit ad Victorinum, ita prior a nobis connumeratur. In hoc quanta vis naturæ ſit, quantum fortuna humanis in rebus poſſit, plane oſtendemus. Adoleſcentulum ſe ſe Victorino tradens, tanta ingenii celeritate uſus eſt, ut jam altero fere anno doctiſſimus, ac clariſſimus evaderet. Græcas litteras, Græcos mores, Græcum genus amavit; neque minus a Græcis honoratus vivit. Nam ad Beſſarionem Cardinalem profectus, hominem, ut noſtis, Græcum, atque in omni ſapientia graviſſimum, ac præſtantiſſimum, tantam ſibi gratiam virtute, humanitate, eloquentia conciliavit, ut paullo poſt, hujus viri opera atque ope, Archiepiſcopus Sypontinus deſignatus ſit. Complures exſtant Orationes, ejus eloquentiæ ac doctrinæ teſtes. Multa etiam Græcorum volumina noſtris ab eo litteris explicata; in his Polybius Hiſtoricus. Hujus dignitate ſumma præditi, clarum inter Philoſophos, atque Oratores nomen celebratur. Præcipua tibi laus, Beſſarion, qui tale ingenium tantis præmiis honoribuſque jure optimo decoraſti: neque tibi, Nicolae, minor, qui tantos viros, alterum virtutis, alterum fortunæ Duces habuiſti. Omitto pene innumerabiles diſcipulos, qui ſapientiſſimi hujus Philoſophi doctrina, moribuſque culti atque ornati ſunt (1). Eos tantum attigi, qui aliquo in numero atque honore fuere. Quanquam multi etiam Religioni dediti, ſuoque tantum otio,

Facius. Sane multiplici doctrina excelluit, præſertim vero Latini ſermonis peritia: quod ſcripta ejus jam pervulgata demonſtrant.

(1) Inter eos Laurentium Vallenſem hominem doctiſſimum, Baſinium Parmenſem Poetam non ignobilem, Andream Faſeolum Venetum Oratorem ſuaviloquentem, & Guarini Veronenſis, ac Franciſci Philelphi filios Platinenſis refert. Iis Joannes Aliotius Aretinus adjungendus Græcis Latiniſque litteris, ac Philoſophia haud leviter eruditus.

otio, atque innocentia vitæ contenti, nulla humana ornamenta appetivere. Illud tantum audeo dicere, nullum fere præclarum in Italia ingenium fuiſſe, quod non liberaliſſimus præceptor aliquando juverit, quod non coluerit, quod non excitaverit; neque in litteris modo, verum honeſtiſſimis atque optimis moribus: quo in genere, pace omnium dixerim, unus maxime omnium elaboravit (1). Nam etſi perfectus atque optimus Orator erat, verba tamen haud libens docebat; neque tam bene dicere, quam bene facere diſcipulos hortabatur. Memini illum, memini ſæpe dicentem, & quanta poterat voce clamantem, nihil eſſe tam peſtiferum civitatibus, atque hominibus, quam eloquentiam ſine probitate; quæ quum per ſe magna ſatis atque potens ſit, ſi ad malos etiam pervenerit, magnos excitare fluctus, corrumpere, atque evertere ſtatum, moreſque civitatis facile poſſit. Quanquam nec eloquentiam quidem in maleficis civibus exiſtimandam putabat. Conſtat enim Oratorem bonum virum eſſe oportere; nec ſapientem eſſe poſſe, niſi innocentem, ac rectum; nullam vero planiorem eſſe viam ad cognoſcendam percipiendamque dicendi rationem innocentia atque integritate.

(1) Quam in diſcipulis erudiendis rationem ſervaret, eſt a Saxolo & Caſtillionæo relatum. Eos ubi Linguæ Latinæ (quam Priſciano duce tradebat) ac item Græcæ rudimentis imbuiſſet; ad utrumque orationis genus, Virgilii & Homeri, Ciceronis & Demoſthenis, Salluſtii ac Livii prælectione informabat. Ad Ariſtotelis deinde Dialecticam, non illam quidem pro ſæculi more corruptam, captioſam ſcilicet, ac diſputationum altricem; ſed quæ ingenium acueret, & rationis uſum perficeret, adducebat. Poſtea ad Rhetoricas exercitationes, ad Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam, reliquaſque Mathematicas diſciplinas, quas pene unus inter ludimagiſtros humanioribus litteris adjungebat. His præſidiis inſtructos, in ſpatia deducere Philoſophiæ, & Academiæ ac Lycæi dogmatibus excolere non dubitabat. Quos demum per hanc ſtudiorum ſeriem exercuiſſet, a ſe dimiſſos faciebat; idoneos arbitratus ad Theologiam, Juriſprudentiam, Medicinam, aliaſve graviores diſciplinas capeſſendas, prout ingenio quiſque fuerat a natura comparatus.

te. Eſt enim Oratoris finis ut perſuadeat, ut impellat, ut ea vera credantur quæ dicat. Facile autem bono viro credi, cujus bene facta bene dictis anteferimus. Bene igitur viventi, bene atque apte dicere facile putabat. Quare ad veram omnia Philoſophiam, ad Religionem, ad pietatem, ad pudicitiam referebat. Nullum, niſi de virtute, verbum exprimebatur: nulla niſi caſta, niſi moderata, niſi ſancta lectio erat. Si quid aliquando in Poetis aut laſcivum, aut petulans deprehendebatur, quod explicandum illi eſſet, neſcio quo pacto ita turpitudinem illam verecundia quadam dicendi moderabatur, ut ne Thays quidem auditoribus impudica videretur. Mox in vitia ſeveriſſime invehebatur, ne qua ſceleris illius delectatio teneros irretiret animos. Quo quidem in genere (mirabile dictu eſt!) tanta erat auctoritas dicentis, tanta vis, tanta gravitas, tantus ardor atque impetus orationis, ut non verba, ſed faces, aut fulmina conjicere in animos diſcipulorum videretur. Neque minus in ſe, quam in ceteros ſeverus atque acer fuit. Namque ea, quæ ſupra commemoravimus, vitia, libidinem, atque iracundiam, quæ natura illi, non uſu, data diximus, ſolita vitæ aſperitate domita eſſe conſtat: cujus rei cauſſam, atque ordinem paullo altius ordiamur. Fuit in Victorino ſumma dividendi temporis diligentia, ut ſingulis exercitationibus ſingula ferme momenta deſignarentur, neve inertiæ quicquam permitteretur; atque in hoc uno conſtare humanæ vitæ rationem maxime putabat. Somni vero, ſupra quam dici poſſit, incredibilis abſtinentia. Itaque multo ante lucem ſurgere, atque in propinquum locum ſolus ſecedere ſolebat, ibique nuda genua humi figens, ſacros Codices, atque hymnos accuratiſſime, diuque legere; tum afflictum diurno labore corpuſculum flagello frequentiſſime caſtigare: quem macerandæ carnis morem ab ineunte adoleſcentia ſuſceptum, ad extremam uſque

ſene-

ſenectutem conſervaſſe haud obſcura fama erat. Ego quamdiu cum hoc ſancto viro vixi, hi teſtes oculi ſæpe fuere: quanquam innocentiſſimus Philoſophus ſine ullis arbitris id ageret, neque ad eum locum quenquam tum admitteret; ſed propter eam, quæ mihi cum illo erat, familiaritatem, tum quod ejus ſanctitatis perſpiciendæ avidus eram, haud facile me latere poterat. Poſtea vero quam ab eo diſceſſi (nam, ut tu noſti, o Alexander, patrem tuum, auctore Victorino, ſecutus ſum) tute teſtis eſſe potes, qui cum eo pernoctare ſolitus eras; tum ex Secretario tuo (1), qui perſamiliariter, atque intime eodem uſus eſt præceptore ac magiſtro, ſæpenumero audivimus. In capiendis, curandiſque cibis moderatiſſimus omnium vixit, eadem fere hora, eodem ordine; quodque difficilius videtur, eadem ſemper menſura uſus. Objurgatus aliquando ab amicis ob nimiam ciborum parcitatem & continentiam, quod neque prudentiæ ſuæ convenire videretur, neque valetudini; conſtat enim corpora noſtra æſtate magis ſitibunda, hyeme cibi avidiora eſſe; proinde orare obteſtarique, ut ſaluti ſuæ proſpiceret, neve injuriam corpori ſuo faceret, & ſi non ſua, ſaltem ſuorum cauſſa viveret; audite, quæſo, quam eleganter, quam ornate, quam facete reſponderit: An eſt, inquit, injuria pacta ſervare? Ego cum corpuſculo meo longo uſu conveni, ut certa illi quantitas debeatur: non fidem frango; nec tamen ipſum jure ſuo fraudo: facile eſt ad neceſſitatem paſci. Quod autem me ad vivendum incitatis, recte facere vos arbitror; poſita enim eſt in uſu virtutis vita, nec quenquam, niſi ſapientem, vivere exiſtimandum eſt; ceteros tantum moveri ſimiles viventibus. Perſeverantibus amicis, bonis ſaltem cibis utendum, quibus & diuturnior vita confirmatur, & firmior: Non, inquit, nego bonis utendum eſſe; ſed nihil bonum, niſi neceſſarium: his uta-

(1) Ipſo, ni fallor, Prendilaqua.

utamur natura duce, non gula. Illud tamen advertite, nullam eſſe in cibis diuturnitatem vitæ. Nemo non diu vixit, qui bene vixit; hic etiam poſt mortem vivit. Clamantibus denuo, bonos cibos, ideſt delicatos & molles intelligi ſolere: Fallimur, inquit; nihil enim eſt tam diuturnitati contrarium: facile corrumpuntur mollia, nec ante putreſcere didicerunt, quam molleſcere. Quibus illum rationibus motum exquiſitis cibis abſtinuiſſe certum eſt, ſimplici genere & parvo contentum. Humida fercula propter ſiccitatem corporis non abhorruit; cetera exquiſitiora quaſi peſtem fugiens: idque eo majori admiratione dignum, quod in copioſa & delicata menſa veſcebatur; neque id vitare propter filios Principis poterat. Monitus a familiari ut phaſianum guſtaret tanquam optimum ac ſuaviſſimum, quum illum naribus odorandum, quaſi rem novam atque incognitam, admoviſſet: *Male*, inquit, *olet*. Id eſſe præcipuum, ac jucundiſſimum, alter reſpondit. Tum ille, abjecto phaſiano: *Quam*, inquit, *ſtulti homines ſunt*, *quos mali etiam odores ad gulam incitant*! Illud etiam audite quam facetum. Amicus quidam noſter nobilis, ſed parum ſobrius, quum apud filios Principis caſu cœnaſſet, maximaſque naturæ gratias ageret, quæ ad componendas corporis ſui partes nulla in re defuiſſet, idque validum, ac robuſtum, cibi, potuſque ſemper avidum feciſſet; Victorinus vix edacitatem ejus ferens: Erras, inquit, bone vir, neque magno naturæ vitio cares; nam quum maximum tibi ac voraciſſimum ventrem natura præſtiterit, multas etiam manus dare debuit, quæ, quum ad porrigendos tamdiu cibos duæ non ſufficiant, aliquando te ad ſaturitatem explere poſſent. At ille non inſulſe: Quando, inquit, parvo in corpuſculo cibum pati non potes, abſtines. Tum Victorinus: Fateamur ita in nobis eſſe: aliqua tamen in hoc vitio laus eſt, quum ea nolumus, quæ non poſ-

poſſumus; hæc in te culpa eſt: expleri, o amice, potes; ſatiari non potes. Vinum ſine aqua, idque niſi moderatiſſime, nunquam guſtavit. Sale nunquam in menſa uſus eſt, quod ille, auctore Salluſtio, maximum gulæ irritamentum putabat; ſtultum autem videri currentem impellere; gulam ſemper in promptu eſſe ut devoret, frenoque magis, quam calcaribus, ut ajunt, indigere. Quamobrem ne quod irritandæ gulæ ſpatium in cœna eſſet, legentes diſcipulos habere ſolitus erat, qui delectatione quadam audiendi, veſcentium animos allicerent; deligebatque ad tantum munus adoleſcentes ingenio, memoriaque optima, voce compoſita & arguta, quos etiam a Muſicis inſtructos (1) concinne atque apte & diſtincte pronunciare maxime curabat; ut dulcis ille ſonus & harmonia quædam, ſi non a cibo, ſaltem a nugis revocaret, quum præſertim aut heroum fortia facta canerentur, aut hiſtoriæ recitarentur, dulces illæ quidem auditu & jucundæ. Adde etiam quod ceteri tum ad pronunciandum accendebantur, tum ad res memoria conſervandas atque retinendas; neque pauci inventi ſunt, qui ſingula Poetæ volumina, Ciceronem de Amicitia, de Senectute, de Finibus, de Officiis, Epiſtolas, Orationeſque ejus plurimas, Salluſtium totum, Livium magna ex parte memoriter atque optime recitarent. Quos ille omnibus diſcipulis proponebat, quod in iis & magna vis, atque copia dicendi eſt; & ad imitationem, quæ legendo maxime concipitur, ludus, atque campus ampliſſimus; tum ad bonos mores aperta quædam & facilis via (2). Quibus ille artibus atque ſtudiis ita

(1) Caſtillionæus, ubi de ludis, quibus Victorini Gymnaſium aſſueverat, hæc affert: *In Muſica itidem diſciplina, more Attico, ſuos diſcipulos exerceri jubebat, & ad hanc edocendam magiſtros apud ſe idoneos retinebat.*

(2) Quænam eſſet Victorino ſententia de Scriptoribus præcipuis Græcis atque Latinis, narrat Platinenſis ab Omnibono Leo-

ita impetum corporis compreſſit atque continuit, ut facile, non dico pudicitiam, ſed virginitatem conſervaſſe haud obſcura fama fuerit. Quod ego etſi pro certo affirmare minime auſim; magna quippe res eſt, quæ non vidimus, profiteri; illud tamen audeo dicere, nullam in eo incontinentiæ ſuſpicionem fuiſſe: quod certe, in tantis, ut ita dicam, oculis (Argo enim ſimiles Principum aulæ ſunt) tum in tanta obtrectatorum copia, latere nullo pacto potuiſſet. Neque hoc loco ſapientiſſimum hujus viri dictum ſilentio prætermittam. Objurgatus a malevolo tanquam ignavus atque inutilis patriæ civis; quum neque

Leoniceno præceptore ſuo edoctus. Ille omnigenam in Homero doctrinam, præceptorum utilitatem in Heſiodo, carminis excellentiam in Theocrito, ſcientiæ ubertatem, verborumque copiam in Pindaro, Attici ſermonis puritatem, vitiorumque inſectationem in Ariſtophane, ſententiarum gravitatem, ac leporem in Euripide, admirabile in Sophocle ingenium, animorumque in Æſchilo concitationem laudabat. Demoſthenis autem vim, & Iſocratis candorem ad eloquentiam comparandam maxime conferre profitebatur. De Latinis Virgilium, Smyrnæo Vate ſuo quidem judicio diligentiorem, in deliciis habebat, quum quod genus omne ſcientiæ ac elegantiæ in eo agnoſceret; tum quod verecundia in laſcivis rebus deſcribendis non indecore uſum animadverteret. Lucanum haud improbabat qua rerum amplitudine, qua ingenio ad animos concitandos aptiſſimo. Perſii ac Horatii Satyras laudabat: hujus autem in lyrico carmine vim, jucunditatem, & gratiam ſuſpiciebat. Juvenalem alioſque hujuſmodi, quos diſcipulis prælegere non ita fas eſt, prætermittebat; nec niſi pauca ex Ovidio delibabat. In Terentio rerum & verborum proprietatem, in Plauto copiam agnoſcebat, & gratiam. Salluſtium Stili brevitate ac Latinitate, Livium ubertate & jucunditate, præcipue in concionibus extollebat; nec ſe videre ajebat, quid peregrinum in Scriptore elegantiſſimo Aſinius Pollio Patavinitatis nomine reprehendiſſet. Cæſaris eloquenti oratione, & ingenii acumine delectabatur; multa quoque Valerii Maximi eruditione: hunc tamen aſſentationis vitio laboraſſe dicebat. A Seneca morum ſcientiam hauriendam ſuadebat, vitiis ſermonis, queis abundat, relictis. Quintilianum optimum judicabat inſtitutionis Oratoriæ magiſtrum. At Ciceronem, unum omnium eloquentiæ exemplar, nullo unquam tempore e manibus dimittendum prædicabat; a quo nedum verba, ſed omnem juſtitiæ ac honeſtatis diſciplinam, ex Academicorum, Peripateticorum, Stoicorumque fontibus petitam, ediſcere liceret.

neque uxorem ducere, neque liberis operam dare voluiſſet, at ille peſſimos haberet filios Victorini diſcipulos: Si meos, inquit, habuiſſem, non tam diligenter tuos curaſſem: utilius viſum eſt male ex te natos inſtituere, quam alios ex me deteriores fortaſſe procreare; hoc enim certum Reipublicæ beneficium eſt, ut malos corrigamus; quales autem ex nobis edituri fuerimus, incertum. Clamanti illi: Si bonus fueris, bonos habebis! Ergo, inquit, tu niſi improbus fuiſſes, improbos non genuiſſes. Optimum quidem reſponſum, & grave. Ego vero ſingularem hujus viri pudicitiam majori quadam admiratione proſequi ſoleo, quod in ipſo adoleſcentiæ flore non alienum fuiſſe ab amore dicitur. Cujus rei cauſſam, atque rationem ſæpe cogitans, nunquam exiſtimare potui, corruptam illi mentem fuiſſe, atque libidinis gratia id feciſſe; verum excitandi potius ingenii, in illo præſertim Poetarum ludo ſuavi & molli, quale eſt Propertii, & Tibulli; in quo valuiſſe illum primis annis conſtat. Virginem ſibi propoſuiſſe egregia forma atque indole, non quæ ab eo amaretur, ſed amari tamen digne poſſet, eamque ſibi quaſi ſignum aliquod conſtituiſſe, ad quod ſtudiorum ſuorum labor omnis & fructus dirigeretur, quod illum impelleret, atque ad dicendum inflammaret. Nihil enim generoſos animos excitare magis ad res magnas ſolet, quam juvenilis ille ardor atque impetus amoris. Itaque multos edidit verſus de laudibus amantium, non Latina ſolum lingua, verum etiam Etruſca, atque ætate illa non contemnendos, ac neſcio quo pacto in re laſciva probatos & graves. Sed durior ætas duriores poſtea mores amplexata eſt; neque diu in ipſa perſeveravit ſententia. Quod etiam virum doctiſſimum Franciſcum Petrarcham feciſſe fama eſt. Quis enim ſanæ mentis compos Lauram illam, tam ab eo cultam, atque pictam, toties laudatam, toties optatam, hominem fuiſſe putet; non virtutem, ſive ut rectius di-

dicam, præmium virtutis, quam ille ſibi Poetarum more finxerat, & quaſi calcar paraverat ad ſcribendum, quam laudaret, quam extolleret, ut ſe immortalitati conſecrare poſſet? Habes igitur, o Raymunde, artem rationemque optimam libidinis coercendæ, quibus etiam iracundia ipſa temperari ſolet; nam quibus rebus cupido mala inflammatur atque uritur, ideſt Cerere, & Baccho, iiſdem furor animi concitatur. Sed alia etiam contra hunc hoſtem arma Victorinus habuit. Ille enim quum ad iram accenderetur, manifeſta ejus morbi ſigna mox deprehendebantur; erigere ſeſe in digitos ſolebat, & rubor quidam ſolito vehementior faciem notare. At ille omnium ſapientiſſimus, quum adventare impetum haud obſcure perciperet, repente ſeſe colligere, neve in quempiam animadvertere, vixque vocem emittere tum audebat; nihil enim recte ab irato dici poſſe arbitrabatur, aut fieri. Si quem in manifeſto flagitio deprehendiſſet (nam hæc præcipua iracundiæ ſuæ cauſſa fuit) ſupplicium differebat, quoad animus quieſceret. Sed verberibus, aut plagis raro in diſcipulos uſus eſt. At ſi qua neceſſitas urgebat, id erat certiſſimum magnæ continentiæ teſtimonium, quod nullas denudari corporis partes in verberandis pueris patiebatur, ne qua irritandæ cupiditatis occaſio ab oculis provocaretur. Cetera enim vitia pugnando magis atque inſequendo frangi poſſe; ipſam vero libidinem fugiendo ſuperari maxime putabat. Tantaque in ea re conſervandæ honeſtatis cura fuit, ut ne pueris quidem, quum ad labores dimittebantur, veſtem, ut fit, deponere permitteret, ſine velamento lineo, quo illi medium cingentes corporis, ad genua uſque tegebant; neque tamen curſus, motuſve, aut agilitas ipſa impediebatur: ſecretiores tamen partes latebant; quarum honeſtum aſpectum, quum natura nobis negaverit, non celare nefas putabat. Verbera etiam interpolata, & rara inferebat. Illa quippe intermiſſio

&

& mora, qua furor omnis maxime placatur, irati præceptoris temperabat animum, ne quid acerbius ageret, neve crudeliter aut indigne verberaret; & pueros tædio quodam longioris pœnæ vehementius afficiebat. Nullus enim gravior eſt dolor, quam diuturnitas ipſa continuati doloris; in ea præſertim ætate, rationis, ac dolorum impatientiſſima. Adde etiam (quod optimum erat) corpora mitius lædebantur. Neque tamen impunitos diſcipulos dimittebat: genua illos flectere, diuque humi publice jacentes, ceteris riſui ac ſpectaculo eſſe, extremum ſupplicium erat. Quo quidem optimo caſtigationis genere libentiſſime uſus eſt. Nam (quod in primis cupiebat) verberandi neceſſitas vitabatur, nec ulla irritandi ejus animi cauſſa erat; & neſcio quo pacto publica illa ignominia, magis quam pœna, juveniles impetus frangebantur. Quibus artibus effectum eſt, ut nihil unquam indigne, nihil irate, nihil temere, nihil inconſiderate in tanto negotio factum, dictumve ab eo fuerit. Sunt etiam qui putent ſecretos illum diſcipulos habuiſſe, hiſque mandare ſolitum, ut quum in aliquam iræ ſuſpicionem incideret, ſimulato cum eo colloquio, clam monerent. O ſingularem hominis præſtantiam, qui tanta præditus ſapientia, diffidere ſuis armis videretur! Quid de ſanctimonia hujus Viri dicam, de pietate, de religione, quæ tanta quidem erat, ut nemo melius, nemo integrius, nemo ferventius Chriſtianum nomen profiteretur? Ita in Deum, Sanctoſquê officioſus fuit, ita eos coluit, ita de Fide noſtra optime ſenſit, ut rem divinam tantis implicitus nunquam aut prætermiſerit, aut diſtulerit; quam, etſi ſolus facere, ut diximus, conſueverat, ſacros libros legendo, Deumque orando, ſingulis tamen diebus Principis filios cum reliquis diſcipulis ad ſacrificium ducebat publicum: quod ipſe totum flexis humi genibus, nudo capite venerabatur. Singulis fere menſibus ſeſe Chri-

ſtiano more innocentiſſimus expiabat: quod nos religionis genus, Confeſſionem, & Communionem appellamus. Feſtos, Quadrageſimaleſque dies totos in Dei cultu ponebat. Sacrificia, loca pia & religioſa, publica privataque pauperum hoſpitia, carcerum ſecreta frequentans, nulla ope aut cura deſerebat. Sanctos viros ſæpiſſime conveniebat, prædicatores libens audiebat, jejunia ſeveriſſime obſervabat, nullum denique Chriſtiani hominis prætermittebat officium, eodemque exemplo ceteros juvabat. Qua in re ſi quempiam aut parum religioſum, aut negligentem offendiſſet (id enim cautiſſime ſpeculabatur) graviſſimis verbis ſecreto bis terve caſtigabat; non audientem publice monebat; perſeverantem a gymnaſio dimittebat, quaſi operam apud ſe perditurum. Studia enim litterarum pura, incorrupta, religioſa, ſancta eſſe dicebat; nec quemquam in eo genere, niſi incorruptum, verſari oportere: ſapientiam hominibus a ſolo Deo concedi, neque dari niſi Deo caris; nemo autem carus, niſi bonus; nec bonus, niſi Deo parens. Itaque a diſcipulo interrogatus, quibus artibus doctiſſimus ac ſapientiſſimus fieri poſſet: Ut bonus ſis, reſpondit; facile enim a Deo impetrabis, ſi illum amicum feceris; facies autem, ſi bonus eris. Pejerantes, ac de Deo, Sanctiſve parum religioſe atque impudice loquentes ſeveriſſimis pœnis, verberibus, ignominiis, conviciis afficiebat. Quos vero in eo flagitio bis deprehendiſſet, tam vehementius execrabatur, ut ne intueri quidem pateretur. Audite, obſecro vos, quam acer, quam vehemens, quam ſeverus in Carolum Gonzagienſem, tuum, o Alexander, fratrem, fuerit, filium, ut ſcitis, tanti Principis, viribus quidem validiſſimum, ætate ferventiſſimum, ingenio ferociſſimum, forma magnitudineque corporis prope in Italia ſolum. Hic jam adoleſcentior pila, ut mos illi erat, in curia ludens, quum per iram indignatus, neſcio quid in Sanctos parum ho-

honeſte protuliſſet; confeſtim ad eum præceptor properans, publiceque palma percutiens, apprehenſam ejus comam diu concuſſit, atque in magno civium conventu verbis oneravit gravioribus: Quid hoc, inquit, eſt, improbe? Annon Deum amas, omnium parentem, omnium rectorem, omnium cuſtodem? Non illum times hujus urbis atque orbis dominatorem ac principem? Tu hos cives optimos, tu præceptorem tuum aſpicere, tu vitam agere, tu in conſpectum Chriſtianiſſimorum parentum, hoſtis Religionis noſtræ, inimicus Deo, venire audebis? At ille, ut erat prudentiſſimus, tum præceptoris artibus jam inſtructus, neque verberibus, neque publica illa ignominia perturbatus eſt; ſed ad terram uſque provolutus, erroris ſui veniam humaniſſime poſtulavit. Ferunt tum Victorinum frequentiſſimis lacrymis, ut ſolebat, aſperſum, atque illa pueri modeſtia commotum, diu ſe tacitum præ gaudio continuiſſe; inde ad aſtantes converſum, maximas ſe Deo gratias agere dixiſſe, qui talem illi diſcipulum præſtitiſſet. O præclaram in altero ſeveritatem, in altero humanitatem! Quid de Victorini manſuetudine dicemus? Fuit enim ingenio placabili ac benigno, adeoque ipſa natura pronus ac facilis ad lacrymas, ob quandam animi teneritatem ac dulcedinem, ut leviori quovis dicto aut facto, præſertim ab adoleſcente, ex quo virtutis odor aliquis conciperetur, invito caderent lacrymæ. Idipſum omni ferme tempore facere ſolebat, quum præclarum aliquod facinus aut intueretur ipſe, aut factum legeret, aut ab alio recitaretur. Quod conſpicati ſæpius diſcipuli, ſi quid ab iis levioris culpæ admittebatur, quæ ad præceptorem delata eſſet (nam gravioribus haud facile flecti poterat) ſtatim ad eum leniendum maturabant, totum fatentes crimen, ac verecunde veniam implorantes; neque ſe negare pœna dignos, meliora tamen de ſe polliceri, ſi tum impunes dimitterentur. Qua virtutis ſimula-

tione nonnulla mitioris pœnæ ſpes concipiebatur, & ille haud invitus capi æquo animo ferebat; non tam facilitate naturæ fretus, quam arte ac ratione, ut longa conſuetudine ducti adoleſcentes a mendacio ſua ſponte abſtinerent. Quo virtutis genere, ſi a teneris annis imbibiſſent, grandiores natu facilius uterentur, uſu in naturam mutato. Nihil enim graviori animadverſione inſequebatur, quam mendaces, ac verboſos adoleſcentes; idem ferme eſſe dictitans & multa in ea ætate inconſiderate dici, & non recte dici. Interrogatus qua ex re facilitas illa lacrymarum naſceretur, duplicem eſſe cauſſam reſpondit, doloris, ac voluptatis, natura ita eum ferente, ut ſola virtutis cogitatio flecteret, mox indignatio quædam ſubſequeretur, quæ naturam ipſam jam ad hoc incitatam adjuvaret; tam paucos eſſe ſuis lacrymis dignos, quam paucos videret virtutis amatores. Neque hoc loco incredibilem in diſcipulos Victorini caritatem tacitus præteribo; qui quum publicis occupationibus diligentiſſime vacaret, multum vero temporis in re divina, multum in exercendis puerorum corporibus poneret; quicquid tamen intercipiebatur otii, privatis lectionibus inſerviebat. Memini illum, memini, idque ex multis etiam audivi, quum jam ſenio confectus eſſet, ad eos, quorum ingeniis delectabatur, diſcipulos a ſomno excitandos cum lumine, ac libro proficiſcentem, datoque illis ad ſurgendum ſpatio quoad pararentur, patientiſſime expectantem, porrecto deinde libro, legere, & ad ipſam virtutem multis gravibuſque verbis hortari ſolitum. Neque vos exiſtimare velim mercede, aut pecunia ductum feciſſe. Nemo ex hujuſmodi diſcipulis non ab eo gratis nutritus, gratis eruditus erat (1). Neque hi ſolum,

(1) *Hic noſter cum Socrate non conferatur modo, ſed jure etiam anteponatur. Gratis enim ille tantum juventutem erudiebat. Hic non ſolum gratis erudit; ſed in ceteris quoque rebus omnibus præſtat optimi atque indulgentiſſimi parentis officium. At quanta*

lum, verum etiam nonnulli eorum parentes rei familiaris anguſtia circumventi; pius enim præceptor, ne ad ſuſtentandam ſuorum inopiam diſcipuli revocarentur, ſua impenſa paſcendas ſublevandaſque totas eorum familias curavit: quodque majori admiratione dignum eſt, nonnullos præſtantis ingenii adoleſcentes, data præter quotidianum victum pecunia, conduxit, atque ut erudiri paterentur multis precibus rogavit. Adde quod diſcipulos in menſa non deſerebat; eos præſertim, quorum obſequio ipſe pari utebatur: optabat ne quid ad honeſtum, ideſt neceſſarium, victum deeſſet. Sæpe tamen facetus & jocabundus ſenex dicere in eos gloriabatur: Quam impar eſt inter nos, o filii, beneficium! Vos ne quid mihi in cœna deſit, diligentiſſime curatis: ego ne quid nimium vobis adſit. Ille enim nihil, quam edacitatem & crapulam, deteſtabatur magis, quaſi corpus diſſolveret, ingenium obtunderet, vires bonamque valetudinem occuparet atque interciperet. Cujus viri bonitate, ut opinor, motus Piſanellus (1) noſtra ætate pictor inſignis, quum inter veteres Philoſophos Victorinum pingeret, aut in ære effingeret; quod ſæpe honorandi hominis gratia facere gaudebat; phœnicem ante ejus pedes collocare ſolitus erat, quæ ſe roſtro percutiens novam ex ſuo ſanguine prolem excitare conabatur; atque illi ſimilem hunc virum dicebat, qui quum tanta in diſcipulos caritate ac munificentia uſus eſſet, ut nullis aut laboribus, aut impenſis parceret, proprium quodammo-

ta familia! Ad quadraginta plerumque ſumus, omnes ſumptu ſuo veſtiti, alti. Saxolus Pratenſis.

(1) Victor Piſanus Veronenſis, qui & *Piſanellus*, Facio teſte, *in pingendis rerum formis, ſenſibuſque exprimendis ingenio prope poetico fuit*, & picturam a Jocto Florentino excitatam, ad meliorem quandam formam revocaſſe viſus eſt. Primus ab elegantiorum artium inſtauratione virorum ætate ſua illuſtrium numiſmata cudere magna cum laude auſus eſt; ejuſque ex officina illud etiam prodiit, quod Victorinum refert, & in Muſæo Mazzuchelliano patet.

do ſanguinem effudiſſe videretur, ad ſuſcitanda optimarum artium ſtudia. Quem ſecutus Quiriacus Anconitanus, diligentiſſimus magnorum virorum inveſtigator, in eo, quem *De rebus mirandis ab eo inventis* conſcripſit, libello, Victorinum totius liberalitatis parentem, quo nihil noſtra ætas dignius tulerit, vidiſſe gloriatur (1). Magna hæc, o viri, ſunt, & ante hunc Philoſophum inaudita. Quanquam majora etiam, ut arbitror, audituri eſtis. Iſta enim, quæ, ut diximus, erogabatur pecunia, multis ab eo vigiliis, multis laboribus, multis precibus, atque artibus aut a Principe quærenda, aut a bonis civibus roganda, aut ab avaris extorquenda, nonnunquam mutuo, ſæpe gravi fœnore captanda erat: quod vos, pro veſtra ſapientia, quam multi ſudoris multique periculi ſit, non ignoratis. Quibus de cauſſis ſæpe magnum æs alienum conflare cogebatur. Sed non malebat non debere creditoribus, quam non bene facere: pecunia enim ſi a bonis viris conceditur, nunquam repeti; ſi a malis, vix injuſte retineri ſolet, modo ad bonos convertatur uſus. Nihil igitur unquam Victorinus habuit; nihil quum optime poſſet, aut congeſſit, aut cupiit; nihil ſibi moriens, præter virtutis gloriam, reliquum fecit. Conſtat tamen parvum in ſuburbanis hortum pauculis vitibus refertum, pecuniaque ab eo conductum poſſediſſe; antiquam Poetæ noſtri domum atque ſedem, in qua natum illum cives noſtri gloriantur. Hunc civitati proximum cum diſcipulis venerationis gratia frequentavit. Virgilii montem incolæ appellant; aliquanto ceteris eminentiorem, atque in collis altitudinem porrectum. Hæ Victorini deliciæ, atque opes habitæ ſunt. Nihil enim paupertate melius, nihil dulcius, nihil optabilius, nihil bono viro dignius putavit.

Ne-

(1) Sane Cyriacus Victorini meminit in Itinerario a Cl. Mehuſio Florentiæ vulgato, ſeque ab eo amice acceptum fatetur.

Neque ſolum pauperem, ſed indigentiſſimum, ſæpeque neceſſariis carentem eſſe, maximis in deliciis habuit. Eum unica veſte contentum fuiſſe ſupra memoravimus: hanc tamen indigentibus diſcipulis dono ſæpe miſit. Ipſe ſeminudus ea, quæ ad uſum noctis ſervabatur, tunica, debili quidem & inculta, tegebatur, domi ſe continens quoad pararetur nova; quæ quum ab aliis impetranda, aut conflato ære alieno capienda eſſet, haud facile inveniri poterat. Quum ad eam comparandam pecuniæ a diſpenſatore Principis denegarentur: *Gratulari mihi*, inquit, *jure poſſum, qui jam dives ſum, quum nihil habeam*. Interrogatus quiſnam eſſet dives: *Qui*, inquit, *pauper eſt. non invitus nihil cupit.* Rurſus a quonam magnæ pararentur opes: *Qui ſuus*, inquit, *eſt, nihil eſſe a ſe alienum ſciat*. Quomodo, alius dixit, annon miſer eſt, qui nullas habet divitias? *Minime*, ille reſpondit, *ſed qui a divitiis habetur*. Quid hoc gravius dici potuit? Taceo ſingularem in ſublevandis oppreſſorum civium difficultatibus diligentiam, quos ille tota urbe accuratiſſime perquiſitos re & opera non negligebat (1). Atque hoc inſigni caritatis genere quum frequentiſſime uteretur, illud quidem iniquo ferebat animo, tam elatos atque ambitioſos eſſe civitatis mores, ut ne ſolum ire per civitatem tali viro liceret: quod ille peſſimum ſervitutis vinculum dicebat. Itaque domo egredi cupiens, ſtomachari, & ubinam patronus eſſet, qui illum duceret, rogare. Unico tamen contentus erat ſocio, quem ignominiæ vitandæ gratia vix patiebatur; Virgilianum illud crebro repetens: *Uno graditur comitatus Achate*. Quibus rebus miſeram eſſe magnorum civium

(1) In hominis ſanctiſſimi caritate prædicanda ſe totum Saxolus effundit; ex quo afflictis erigendis, ægrotis curandis, captivis redimendis, pupillis tutandis, puellis in matrimonium collocandis, aliiſque hujuſmodi operibus exercendis impenſe adeo vacavit, ac ſi toto hominum generi pater a natura datus fuiſſet.

vium vitam multis de cauſſis putabat; ſed ea potiſſimum, quod ſui raro eſſe poſſent; aut ſi hoc facere conarentur, ceteris ingrati atque inviſi eſſent; optimam eſſe in paupertate libertatem. Maximum vero pietatis ſuæ monumentum eſt Carmelitanæ Virginis Templum, quod ille in celeberrimo civitatis noſtræ loco poſitum, jamque ævo confectum, ſuo ſtudio, ſuo labore, ſua etiam pecunia reſtaurandum, atque in meliorem faciem reſtituendum curavit; ut non falſo gloriari liceat opus illud Victorini fuiſſe. Tanta vero dicendi libertate atque fide, tantaque animi magnitudine uſus eſt, ut quum illum magnus quidam Princeps, qualis ſibi videretur, interrogaſſet, multos ſe vidiſſe meliores reſponderit. Matri vero tuæ, o Alexander, ſapientiſſimæ quidem atque in liberos etiam ſeveriſſimæ, ut te illi adoleſcentulum in cœna permitteret, roganti (id enim invito præceptore non licebat) filium negare auſus eſt, nimiam in ea indulgentiam timens; atque in illam converſus: *Niſi*, inquit, *mater eſſes*, *concederem*. Quid illum indulgentiori matri dicturum arbitrabimur fuiſſe? Illud vero quam præclarum! Quum pater idem tuus in Ludovicum filium tam vehementer exarſiſſet, ut nec illum nominare civibus liceret, multaque in eum iratus feciſſet, quæ non multi laudarent, quod ille ignaro patre ad Philippum Mediolanenſium Ducem, ſtudio quodam rei militaris profectus eſſet (neque enim conducere exiſtimationi ſuæ videbatur, filium apud hoſtem Venetorum habitare, quorum ille tum belli ſocius, atque Imperator eſſet) Dii boni, quantus tum Victorinus fuit, quam acer, quam gravis, quam impetuoſus! quum ipſe totis oculis atque ſenſibus in perturbatum Principem converſus: Quid tibi, inquit, vis, o Princeps, quid ſtomacharis, quid furis, quid fulminas, quid te, tuoſque indigne laceras? Annon meminiſti Virum eſſe te, Principem eſſe, parentem eſſe? Et tu a te ipſo tantus vir diſce-

ſcedis, nec ullum in te ratio locum habet? Filius, inquit, in patrem peccavit; non nego: tu in filium tamen peccare non debes. Si puerum juvenilis ardor impulit, non te virum ac Principem furor commoveat. At pœna dignum putas: fateamur. Sed non tanta, ut tu pater eſſe deſinas, ille filius. Turpe eſſe dicis Imperatoris natum apud hoſtem eſſe? non concedo. Gloriæ id futurum arbitror; nam hæc tua ſollicitudo & cura etiam ad conſervandam dignitatem calcar erit. Concitari in te Venetorum odia ſuſpicaris? Non hoc a tanto tamque gravi Senatu expectare innocentia tua debet. Quod ſi etiam accideret, ſtultum eſt amicitiores homines optare, quam Deum ipſum, quem furor iſte tuus concitaturus eſt. Multa præterea divinitus ab eo dicta memorantur de pietate, de clementia, de manſuetudine. Quibus quum excandeſcere vehementius Princeps videretur: Juſta, inquit, invitus audis. Hæc tibi ferro anima violanda eſt, illidendumque ſaxo corpus; quo etiam extincto, animus ipſe tamen tuam iſtam impietatem non ſuſtinebit. Perdere me, o Princeps, potes; mutare non potes: neque tu ſi pater eſſe nolis, ego Victorinus eſſe nolim. Qua in re quum tota in luctu civitas eſſet, mater vero nihil palam auderet, nemo niſi ferocitatem Principis laudaturus vocem emitteret, domeſtici omnes in tanto tamque acerbo caſu contremiſcerent; optimus tamen Philoſophus intrepido atque inconcuſſo animo nunquam deſtitit afflictum deſperantemque filium & litteris & nuntiis conſolari: cujus ad hunc ipſum Ludovicum epiſtola eſt de contemptu rerum humanarum, aurea quidem, & multi ſucci plena, neque auctoris ſui gravitate carens. Hanc ipſius Victorini manu conſcriptam, diligentiſſimeque ſervatam, tuus, o Alexander, Secretarius in maximis habet deliciis, auro atque argento cariorem; quam, ut ex ipſo ſæpe audire ſoleo, nunquam ſine multis lacrymis multoque dolore legere po-

potuit, pia ejus præceptoris recordatione victus. Tantum vero unius hominis ſtudium ac diligentia valuit orando, monendo, libere accuſando; ut quod neque Poggius Florentinus luculenta ad Principem Oratione miſſa (1), non Eugenius Pontifex Maximus, non ceteri Duces Italiæ multis variiſque precibus aut litteris, non publicus civitatis mœror, non maternæ lacrymæ, non pietas paterna poterat; Victorini tamen fides, atque auctoritas magna ex parte poſſet, ut paucis annis poſt filius in parentis gratiam reſtitueretur: neque dubitandum eſt maximum ejus rei conciliatorem illum fuiſſe. Utinam noſtri Principes multos haberent Victorinos: non eſſet tantus aſſentationi locus. Neque minor in defendenda Cæcilia ejuſdem Principis filia ejus fides, virtus, libertas fuit: quæ quum a tenera uſque ætate Urbinatis Ducis filio deſponſata eſſet, jamque annis matura a viro cuperetur; tantus repente calor virginitatis conſervandæ generoſum occupavit animum, ut abjectis rerum humanarum curis, nihil præter pudicitiam cogitaret: Qua de re quum præceptorem (2) clam admonuiſſet (id enim irritandi patris metu latere cupiebat) tam vehementer Virginem ad rem optimam hortatus eſt, ut quum nuptiæ jam parari ſummo ſtudio viderentur, religioſam illa vitam profiteri palam non dubitaret. Quod quum patri renuntiatum eſſet, difficile memoratu eſt quantus illum mœror afflixerit: erat enim Cæcilia maximæ parentum deliciæ; neque ſane injuria. Fuit illa magnitudine formaque corporis atque oris regia, litteris moribuſque præ-

(1) Epiſtolam, non Orationem, ad Gonzagium hac ſe de re ſcripſiſſe ait Poggius in ſecundis ad eum litteris apud me manuſcriptis.

(2) Tantam Victorinus poſuit diligentiam in Gonzagiis puellis bonis diſciplinis excolendis, tenera ut adhuc ætate eædem Græce optime legere atque ſcribere noviſſent: quod non ſine admiratione Ambroſius Camaldulenſis vidit, & in Hodœporico notavit.

præſtantiſſima, illuſtri & magno tradenda. Nam, ut pace omnium dicam, quæ clarior eſt inter Principes Italiæ familia? Hæc ille omnia in religioſa filiæ vita amiſſurus ornamenta videbatur. Eo igitur dolore concitus ſæpe filiam a propoſito deterruit pugnis, verberibus, minis, contumeliis afflictam: matrem vero ſanctiſſimam ac ſapientiſſimam, cujus opera incitari virginem ſuſpicabatur, maledictis ſæpe laceſſivit, ſæpe ad ſe venientem iratus prohibuit, totam denique curiam clamoribus, conviciiſque perturbavit. Optima tamen Cæcilia neque a ſe deſeri patiebatur, neque eſt a Victorino deſerta. Sæpe ille renitentem Principem adivit, ſæpe monuit, ſæpe clamavit: Cavendum nobis eſt, o Princeps, o Princeps, ne Deum provocemus. Non eſt, mihi crede, ſine Divino nutu tanta in filia perſeverantia: Ferendum eſt, timendum eſt. Si pugnaverimus adverſus Deum, magni neſcio quid mali video. Cujus ego verba mecum poſtea cogitans, haud temere dictum arbitror, nonnullam eſſe in bonis viris divinationem. Ecce novum apparuit periculum, quod ille ignarus fortaſſe, tamen a Deo tactus, vaticinari multo ante viſus eſt. Urbinas ille ſponſus, quum ſe totum libidini atque intemperantiæ tradidiſſet, neque civium pudori parceret, miſere eſt a civibus interfectus. Quid hoc aliud putandum, niſi Deum ipſum innocentiæ noſtræ cuſtodem Virginem illam incorruptam, auctore Victorino, patriæ, parentibus, civibus conſervare voluiſſe? Igitur defuncto patre (id enim vivo nunquam licuit) dataque a ſponſo venia, virginitati ſe dicavit, atque in ſacratiſſimo Monaſterio quum plures annos ſanctiſſime atque innocentiſſime tranſegiſſet, fracta tandem laboribus ac vigiliis, & hac mortali vita perfuncta, immortalitati conſecrata eſt, non ſine magna Victorini gloria. Illud etiam commemorare libet de fide ſapientiaque Victorini. Bellum ab hoc ipſo Alexandri patre contra Venetos ſuſceptum, etſi

etſi Victorino juſtum ac prope neceſſarium videbatur; multi vero ſtudio magis pugnandi, quam ratione, Principem ad arma primum capeſſenda adhortarentur; ille tamen potentia hoſtium, quam optime callebat, tum incerta amicorum fide maxime commotus, ita ejus movendi diſſuaſor fuit, ut reclamanti Principi dicere non dubitaverit: Cave, obſecro: duros habemus adverſarios, ſocios in amicitia novos, magna vero de te opinio theſauri eſt, nota militum, nota Imperatorum noſtrorum avaritia. Vereor igitur ne abs te vitam hoſtes appetant, ſocii pecuniam. Hortor ut malis injurias obliviſci, quam, quum cœperis, non poſſe ulciſci. Utinam dicto audiens noſter Dux fuiſſet! Bellum tamen ſuſceptum eſt, adverſante Victorino, nono ante ejus mortem anno: quo nullum gravius aut periculoſius magnitudine rerum geſtarum, variaque utriuſque populi fortuna noſtra ætas tulit. Nos devicti tandem, debilitatique ab hoſtibus ſumus, a ſociis exhauſti, ab utriſque deluſi: quod quidem initium nobis malorum fuit multo ante a Victorino cognitum; nam ad ea uſque tempora feliciſſima omnium, atque florentiſſima noſtra Civitas fuerat. Atque ut a Franciſco avo tuo, o Alexander, incipiam, quis illo unquam glorioſior, quis beatior, quis pecunioſior inter Italos Principes inventus eſt? Hic quum infeſtiſſimo ac periculoſiſſimo bello a Mediolanenſibus premeretur, quumque ejus periculi ſocios fœderatoſque Venetos, Florentinos, Ferrarienſes, Bononienſes haberemus; ductor autem ea tempeſtate florentiſſimus Carolus Malateſta & belli ſocietate, & neceſſitudine conjunctus eſſet (is enim ab ipſo avo tuo ſororem in matrimonium acceperat) milites tamen noſtri pecunia, commeatuque exhauſti, quum a ſociis non ſublevarentur; tanta auri ac frumenti vis ab eo tum expoſita eſt, ut communis ſociorum exercitus privata ejus impenſa non ſolum aleretur, verum etiam augeretur,

tur,

tur, novaque undique auxilia ſpe capiendæ pecuniæ colligerentur. Itaque unius Principis liberalitate, ac prudentia duplicatis noſtrorum viribus, confirmatiſque militum animis, haud multo poſt, eo ferme loco, quo Padum flumen Mincius ingreditur, profligati hoſtes ſunt. Inſignis ea victoria fuit; plurimæ enim Italiæ civitates, quæ, deleta Mantuanorum potentia, in poteſtatem Mediolanenſium perventuræ videbantur, e faucibus audaciſſimorum hoſtium ereptæ. Sed non aliqua civium noſtrorum injuria tempus illud caruit. Poſtero namque die, quo exercitus hoſtium deletus eſt, quum Imperator Malateſta urbem Mantuam ingreſſus eſſet, Virgilii ſtatuam, quæ in foro erat, diſturbari atque everti juſſit; nefas eſſe putans hominem non Chriſtianum a Chriſtiano venerari. O ſtulta & vana ſuperſtitio, quæ innocentiſſimum Poetam patria ſua expulit! Quid turpius cogitari a tanto Duce poterat, quam cum marmoribus ac ſtatuis bellum gerere? Cujus Principis acerbitatem atque injuriam Paullus Vergerius vir eloquentiſſimus luculenta quidem, & gravi oratione deploravit. Illud etiam in tua familia glorioſum, quod ipſius Franciſci opera, favore, conſilio Patavina, Veronenſiſque civitas a Venetis ſubacta eſt: quo facillime judicari poteſt, niſi Mantuani Duces Venetorum partibus faviſſent, nunquam in tantam rerum amplitudinem evadere potuiſſe. Quid nunc patris tui fortiſſimi atque invictiſſimi Principis felicitatem referamus? Ipſe enim præter illas Pratenſium civium inſidias, quid tandem aut acerbum, aut indignum tulit? Paterno regno puer admodum ſucceſſit, urbem validiſſimam ac loci natura munitiſſimam accepit, cives optimos ac fideliſſimos habuit. Paullam Malateſtam genere, forma, pudicitia, ſapientia omnium excellentiſſimam uxorem duxit; dignitate ac numero filiorum glorioſus fuit; forma, valetudine, viribus corporis non caruit. Inter noſtros Principes potentia, opibus, fortuna præcla-

clarus vixit; pace atque otio quamdiu voluit, potitus eſt. Brixia civitas ductu auſpicioque ejus Venetis paruit; quorum florentiſſimos exercitus, extincto Franciſco Carmignola, ſumma laude duxit. Multa domi, multa in bello fortiſſime ac feliciſſime geſſit. Sigiſmundum Imperatorem in urbem ſuam glorioſiſſime recepit, honoravit, ornavit; fulgoremque illum Marchionatus primus in ſuam domum contulit. Nec multo poſt Barbaram nurum optatiſſimam (1) maxima civium lætitia duxit; qua nulla clarior, nulla præſtantior, nulla ſapientior: tantuſque ille nuptiarum apparatus fuit, quantus ante noſtram ætatem haud inventus eſt. Læta igitur jucundaque erant omnia, cives opulenti, & quieti, agri fertiles, villæ ædificiis ac cultoribus ornatæ. Sed ecce miſerum atque infelix bellum, quanquam juſte ſuſceptum; in quo primum tamen arridere nobis fortuna viſa eſt. Pater enim tuus validiſſimum paraverat exercitum, Hoſtiliam, Reverumque Mantuanorum oppida, & utramque Padi ripam, quo ventura Venetorum claſſis putabatur, firmiſſimo militum præſidio, machiniſque, ac tormentis munierat; ferreas etiam catenas & propugnacula, magnamque ſagittariorum copiam in flumine conſtituerat, quibus hoſtium impetus retardaretur: quod tanta celeritate atque ordine perfectum eſt, ut nihil ea tempeſtate aut magnitudine operum, aut impenſa clarius, admirabiliuſque cogitari poſſet. Igitur noſtri tanta diligentia contra hoſtes muniti quotidianis incurſionibus, ac præliis magna Veronenſibus vulnera inferebant; & Mantuanorum claſſis, quæ in lacu Benaco erat, captis hoſtium triremibus, multiſque ac variis victoriis glo-

(1) Claram ſane feminam, e Brandeburgenſium Principum ſtirpe nobiliſſima ortam. Hanc & ipſam Victorino in diſciplinam ſe dediſſe, ab eoque moribus ac litteris fuiſſe perpolitam, Prendilaqua teſtatur in Oratione ad eam conſolatoria de obitu Dorotheæ filiæ.

glorioſa navigabat. Nicolaus Piceninus adverſa regione cum altero Mediolanenſium exercitu contra Brixianos maturabat: nec multo poſt Brixia civitas obſeſſa, & ad extremam fere calamitatem perducta, Benacenſes in deditionem recepti, Liniacum oppidum munitiſſimum vi expugnatum, agerque omnis Veronenſis ſub jugum miſſus, ipſa etiam Verona capta. Hoſtium vero ſupra mille captivi cuſtodiebantur: in his Malateſta Cæſenatum Princeps: ceteri metu perculſi, per montana & ſaltuoſa fugientes loca, exercitum in anguſtiis & collibus continebant. Quid quæris? Actum de Imperio Venetorum videbatur. Sed ipſa rerum humanarum domina fortuna, ut eſt mortalibus infida atque incerta, adverſari tandem nobis cœpit: ſociorum quoque fides eo tempore incerta viſa eſt. Ipſe tamen Piceninus Dux fideliſſimus, quo nemo patri tuo amicior, nemo rectior, nemo diligentior, nunquam nos in periculis deſeruit. Cetera ductorum multitudo partim invidia, quæ maxime rebus bellicis nocet, partim avaritia, partim negligentia aut vocati non venere, aut diſſimulando tempus terere auſi ſunt, donec victoria, quæ jam parata videbatur, e manibus dilaberetur. Inter hæc, conducto a Venetis Franciſco Sfortia, Duce omnium ſapientiſſimo ac fortunatiſſimo, qui tum otioſum in Piceno exercitum habebat, Verona, multaque Veronenſium oppida, cedentibus noſtris, recuperantur. Mantuanorum oppugnari cœpta magna ex parte amittuntur. Varii denique rerum eventus modo victis, modo victoribus nobis exſtitere, donec de pace actum ab utriſque eſt: cujus conditiones, promulgante eodem Franciſco Sfortia pacis arbitro, etſi iniquæ nobis videbantur (tria enim opulentiſſima ex noſtris oppida amiſſa ſunt) eas tamen ſive ſociorum perfidia, ſive hoſtium potentia commoti, atque perterriti, quoquomodo accipiendas laudandaſque putavimus. Hic finis belli fuit multo ante a

Phi-

Philoſopho prædictus; cujus fidem, integritatem, ſapientiam utinam tum probare, quam laudare poſtea, maluiſſemus! Nunquam, mihi credite, in tanta incidiſſemus mala. Quid enim miſeri non tulimus? Quid non ætas illa mali vidit? Taceo quæ civitas iſta eo tempore paſſa eſt incommoda, diuturno bello concuſſa, pecunia, commeatu, viris fortiſſimis atque optimis orbata, ære alieno oppreſſa, fame, peſtilentiaque afflicta; bona etiam Mantuanorum civium, quæ apud Venetos erant, ſive jure, ſive injuria proſcripta; negotiationes ac mercaturæ, quæ ante a noſtris libere exercebantur, interdictæ; fundamentaque illa veteris ſocietatis, multis ante beneficiis firmata, quæ perpetua cum Venetis ſperabamus, eo bello concuſſa atque disjecta ſunt, non ſine magna civium noſtrorum jactura. Sed de his ſatis. Non eſt igitur mirandum (ut ad priora veniamus) tantam in dicendo libertatem bonis viris eſſe, quantam Victorino fuiſſe ſupra oſtendimus. Id evenire arbitror ſola innocentiæ conſcientia: qui quum nihil cupiant, nihil timeant, nihil oderint, præter vitia, judicio magis vero, quam cupiditate aliqua feruntur; tantaque rectitudo animi eſt, ut ea non tacere compellantur, quæ profutura ſint, quæve bona illis videantur eſſe. Quo fit ut magnam his adhibeamus fidem, maximeque eos colamus, in quibus nulla turpis vitæ, nulla doli mali ſuſpicio eſt. Illos etiam veremur, & neſcio quo pacto erubeſcimus: quod præcipuum quidem in Victorino fuit. Nam ad Principem quum accederet (is enim ſingulis diebus filios ad eum in menſa ducere ſolebat) ſi quid ab ipſo Duce, aut a ceteris licentius, ut fit, dicebatur, adventu ſuo mox compreſſi ſignificare inter ſe monereque alter alterum conabantur: hic Victorinus eſt, omnes clamabant, mirumque deinde ſilentium indicebatur. Quod tamen virum ſapientiſſimum non latebat, ſæpeque in Principem jocatum dixiſſe ferunt, nihil a ſuis dici, quod

non

non ab eo dictum putaret, cujus nutu ceteri loquerentur: proinde caveret ne quid, audientibus ejus liberis, aut obſcœnum, aut laſcivum dici pateretur; id ſi fieret, confeſtim abiturum, nec pueros ad patrem ulterius ducturum. Illud etiam in hoc homine mirandum, quod in tanta malevolorum copia nemo tamen illi magni cujuſpiam flagitii auſus ſit maculam inurere, aut gravi nota dignum facere; in iis præſertim vitiis, quæ præclara in homine ſunt, libidine, cupiditate, avaritia: quibus ille, confitentibus etiam adverſariis, penitus carebat. Tamen a multis lacerabatur invidia, levia tantum, & quotidiana, quanquam falſa, objicientibus; quos ille tamen non tam odio, quam miſeratione, dignos putabat, quum ſe ſuo malo temere affligerent. Itaque non injurias ſolum libentiſſime patiebatur; verum etiam amabat quaſi ſuaviſſimum virtutis condimentum, quo meliores etiam boni redderentur. Ulciſci nunquam eſt paſſus; ſatis ei pœnarum eſſe dicens, quem maleſacti aliquando ſui oporteat pœnitere. Obtrectatoreſque ope atque opera non deſeruit; glorioſum eſſe putans quod in paucis reperiretur: namque amicis benefacere multi ſolent, inimicis fere nulli. Vox profecto Victorino digna! Nec defuere qui maledictis mortuum inſectarentur; poſtremo enim die quo vita functus eſt, tres in foribus Eccleſiæ verſiculi reperti ſunt, ſine ullo ſcriptoris nomine. Verba hæc erant:

Et vigeo, viguique diu tot Mantua, quorum
Solvere corrigiam, ſi Victorinus adeſſet,
Nec dignus, dignis nec ſit numerandus in illis.

Qua in re diligentiſſime inveſtiganda tanta fuit Caroli Gonzagienſis indignatio, ut nemo, ſive periculi metu, ſive rei indignitate territus, auctorem ſe profiteri auſus ſit. Quo ſcelere commotus tuus, o Alexander, Secretarius, tanti præceptoris memor, paucos eodem loco verſus affixiſſe dicitur, quibus ita Mantuam loquentem fecit:

Ergo inſperata conſumptus morte jacebis,
Victorine pater, ſama decuſque meum?
Te ſine quid ſupereſt miſeræ mihi? Quis mea dicet
Carmina? Quis noſtrum nomen ad aſtra feret?
Te duce Romanæ dicebar gloria Linguæ;
Te duce Caſtalii gloria fontis eram.
Cantabar late Italicas celebrata per urbes:
At mea nunc tecum fama ſepulta jacet.
Quod ſupereſt; cives nudum celebrate poetam,
Juſſit ut in nuda contegeretur humo. (1)

Adverſos autem caſus eouſque fortiſſime moderatiſſimeque Victorinus toleravit, ut quo die matrem extulit, neque gemere, neque lacrymari viſus ſit; moxque a funere profectus, legendi munus non recuſaverit, habitu, voce, vultu nulla ex parte mutato. Magnæ igitur apud omnes venerationis fuit; quam ille etiam augebat gravitate ſimul, & modeſtia ſingulari. Erat enim neſcio quo pacto in ſeveritate non ingratus, in re non ſeria etiam gravis; ut difficile cognitu fuerit utrum honeſtius laudaveris: tantumque a cupiditate gloriæ abfuit, ut quos eum laudantes, aut aliquid de ſe ſcribentes audiret, manifeſto quoddam vultus rubore, impelleret ad tacendum; ſtultum eſſe clamitans vivos laudare, quorum adhuc mutari poſſit vita; mortuos humanis laudibus non indigere; multas vero eſſe latebras in homine, quibus noſtra judicia falli ſolent. Atque his ille rationibus affirmabat, nunquam non laudare malum eſſe, laudari etiam aliquando turpe, ab his præſertim, quorum improbitatem non probare ipſi poſſumus. Et certe ita eſt; neſcio enim quo pacto ſordeſcere in malis lau-

(1) Victorini obitum carmine in Bibliotheca Vaticana manuſcripto deflevit Leonardus Juſtinianus noſter: Omnibonus vero Leonicenus Sapphica quædam ea ipſa de re fudit, quæ manu itidem exarata in Bibliotheca Veneta Clericorum Regularium Somaſchenſium me olim legiſſe memoria teneo.

laudatoribus bonorum laudes videntur. Quid de hujus viri auctoritate dicam? quæ tanta quidem fuit, ut Ludovicus Princeps noſter, poſt adeptum hujus civitatis imperium, non aliter eum, quam antea, coluerit, neque minores habuerit honores; cui etiam aſſurgere venerabundus ſolebat, neque illum, niſi ſedentem, audire, quum ipſe ſæpe non ſederet. Quod ille, quum Philoſophus eſſet, haud invitus patiebatur; non quidem ſua cauſſa, quum eſſet omnium humaniſſimus, ſed diſcipuli; turpe in eo putans, ſi minorem, quam in filio, caritatem comperiſſet: præclara quidem in Philoſopho libertas, in Principe modeſtia! Neque nobis tacendum nullas unquam inimicitias egiſſe Victorinum; eos autem qui agerent, deteſtabatur; præſertim Oratores ac Poetas, quorum plerique noſtra ætate multis conviciis maledictiſque ſe ſe lacerantes, nobiliſſimam illorum artem, quæ ad bene dicendum a natura data erat, ſuo vitio macularent; quo nihil certe levius. Nam ſi ea, quæ in vulgus edebantur, maledicta, ſive male ſcripta, nullam, ut par eſt, fidem faciebant auditoribus, haud Oratoris ipſi recto officio fungebantur, cujus, ut paullo ante diximus, finis eſt, ut perſuadeat. At ſi fidem præſtarent, ſi commoverent, ſi perſuaderent, ſuam ipſi turpitudinem, ſuaque vitia poſteris relinquebant; quoque elegantiores eſſe conabantur Oratores, eo ſe deteſtabiliores ac ſceleratiores eſſe cives profitebantur. Adde etiam quod eloquentiæ laus obſcurabatur, quæ quum per ſe ipſa bona ſit, bonaque eſſe putetur, mali tamen artificis vitio non carebat. Quibus rebus dicere ſolitus eſt, nunquam ſe adduci potuiſſe ad credendum, ut illa Ciceronis maledicta in Salluſtium, Salluſtiique in Ciceronem a tantis tamque doctis viris profecta eſsent; ea potius a malevolis conficta ſuſpicabatur: quod etiam non obſcure ex ipſo dicendi genere deprehenditur. Neque prætermittendum cenſeo quam diligens in cooptandis diſci-

pulis præceptor fuerit: quanquam, ut diximus, neminem aut vitabat, aut aſpernabatur; ſed alio alium cupiebat magis. Eos dico qui bonis in civitatibus, bonis parentibus, bono genere, ſed paupere nati eſſent; in quibus facile concitari poſſe virtutem exiſtimabat, quaſi ad hoc natura jam paratis, & quaſi manufactis, cum propter bonos civitatis mores, paternamque in eos diligentiam, quæ maximi æſtimanda eſt; tum quod prona in primis eſt nobilitas ad gloriam, cujus, ut ita dicam, calore ſtudia ipſa literarum magna ex parte foventur atque inflammantur; modo luxu & ambitione careant, quæ paupertas atque inopia ipſa caſtigat. Humiles tamen atque obſcuro loco natos aptiſſime conſolabatur; una eademque ingredi omnes ad vitam via, quum una eademque ſint omnium initia; nullam vero in naſcituris generoſitatem eſſe, ſed in natis, quæ non a majoribus, ſed ab ipſa animi integritate percipiatur: proinde illam amplecterentur, viriliterque agerent; non defuturam volentibus nobilitatem. Generoſis gloriam atque amplitudinem majorum quaſi calcar proponebat, ut turpius multo eſſe diceret non conſervare, quam non habere, generis nobilitatem; quæ quum ſit in ſtudio virtutis poſita, non poſſit, niſi virtute, retineri. Quibus rationibus oſtendebat, ut quum alterum magis optaret, alterum tamen non diligere minus videretur. De cujus doctrina, curaque docendi, quid nunc attinet dicere? Unum hoc audiſſe ſatis erit, nullum fuiſſe genus ſapientiæ, nullum doctrinæ, nullum etiam levioris artis atque exercitationis, nullum denique quod ad mores vitæque honeſtatem pertineat, cujus audiendi, ediſcendique in hac Victorini Academia nulla facultas fuerit. Nam (quod paullo ante a nobis dictum eſt) publicas privataſque lectiones in Rethoricis, in Mathematicis, in Philoſophicis diligentiſſimus præceptor curabat. Neque deerant Grammatici peritiſſimi, Dia-

lecti-

lectici, Arithmetici, Muſici, Librarii Græci (1) Latinique, Pictores, Saltatores, Cantores, Citharædi, Equitatores, quorum ſinguli cupientibus diſcipulis præſto erant ſine ullo præmio, ad hoc ipſum munus a Victorino conducti, ne qua diſcipulorum ingenia deſererentur: quæ quum varia, ut noſtis, ſint, alia aliis, alteri generi, alteri labori magis accommodantur; nullum quippe honeſtæ vitæ genus abhorrebat, quum in quo quiſque vellet, optimus eſſe poſſet: nullamque bonam eſſe artem dicebat, quæ non bonos artifices poſſet reddere. Quo factum eſt, ut plurimos variis in artibus diſcipulos habuerit, quorum poſtea diſcipulis omnes ferme Italiæ civitates cultæ ſunt. His igitur tam præclaris dotibus excellens, quum jam annis confectus eſſet, hunc etiam Virum vidi egregie, ut ſolebat, laborantem atque nitentem, nullo ſenectutis onere gravatum (2): quam ille tanta quidem modeſtia & tranquillitate animi ferebat, ut Deo gratias ageret imbecillitatis ſuæ, in qua multa poſſe, multa cupere deſierat, quæ quum vitanda ſint, vitari tamen haud facile poſſint. Ingraveſcente tandem ſenio, multis vigiliis laboribuſque confectus, gravi tandem morbo correptus eſt; quo quum diutiſſime infeſtantibus illum febribus, laboraſſet, vix tandem medicorum evaſit diligentia.

(1) *Semper aliquos ex Græcia viros, nonnunquam tres quatuorve domi habebat, qui partim noſtros Græcas litteras edocerent, partim ipſi Latinas docerentur. Nonnullis etiam pro librariis utebatur.* Caſtillionæus.

(2) Quam viridi uſus fuerit ſenectute, ea Saxoli verba aperiunt: *Ea autem incommoda, quæ plerumque ſenibus accidere ſolent, adeo pauca hunc noſtrum comitantur, ut ei cum Catone majore vere gloriari liceat. Vocem, latera, vires ita firmas adhuc habet, ut paucos de adoleſcentibus videam in tanta contentione eſſe poſſe, qua eſt ille quotidie ſex horas continuas, clariſſima voce, ſine ulla corporis offenſione. Sputis vero ſalivoſa labia, purgamentis cerebri nares fluentes, cetera, quibus ætas illa abundare ſolet, ita raro in eo videre licet, ut cum Xenophontio Cyro Perſarum legibus inſtitutum atque educatum exiſtimares.*

Poſtero anno in eandem recidens calamitatem, quum Divinæ rei operam daret, laudeſque Virginis diligentiſſime in lectulo legeret, ut quotidie ſolebat, ſtillante nimio capitis humore, haud longo ſpatio, neque multo labore, ſine ullo gemitu, lætanti ſimilis, atque ex ipſo aſpectu intrepidus ac bonæ ſpei plenus (erat enim ad hoc multo ante paratus) intercepta tandem anima, victus occubuit. Quo facillime judicari poteſt haud moleſtam illi mortem fuiſſe; tanquam bene actæ vitæ conſcientia fretus, profecturum ſe ad beatorum felicitates, innocentiſſimus animus gloriaretur. Ita Vir clariſſimus atque ſanctiſſimus nos reliquit anno Chriſtianorum VII. ac XL. ſupra mille quadringentos, IIII. Non. Febr. ætatis autem ſuæ circiter VIII. ac LX. poſtea vero quam ad urbem noſtram venerat, II. & XX. Elatus eſt tota cum Principibus comitante civitate, magno omnium luctu, publica funeris impenſa; nihil enim, ut ſupra dictum eſt, Victorinus reliquit. Sepultus nuda in terra (1) ut vivens ipſe juſſerat, juxta oſſa materna, atque in Templo, quod nos Divi Spiritus vocamus; in ea vero civitatis regione, quæ Thireſiæ portam reſpicit, a quo natam eſſe Manto urbis noſtræ parentem quidam ſcriptores arbitrantur. Ipſe autem Leonardus Aretinus, gentis ſuæ gloriæ fortaſſe favens, quum ad patrem tuum, o Alexander, ſcriberet, conditam ab Etruſcis Mantuam putavit. Quod ſi ita eſt, ut ipſe voluit (magna autem viro omnium doctiſſimo habenda fides) non intelligo quænam fuerit cum Thebano ſocietas, aut quid ille nobis

(1) Non itaque, ut recens de Civitate Fertina ſcriptor putavit, Victorini tumulus hoc diſtico inſcriptus eſt:

Utrum Virgilius Maro tibi carior eſſe
Debeat, an Rhetor Feltrenſis, Mantua, lis eſt.

Initium hoc eſt Carminis a Leonardo Montagna Veronenſi pro Victorini funere editi; quod manuſcriptum vidi apud Marcum Cornelium Epiſcopum Vicetinum.

bis inſigne fecerit, ut alteram civitatis noſtræ portam ab ipſo Thireſia denominaremus; quum præſertim multis ante illum ſæculis Mantuam fuiſſe Aretinus velit. Ipſe enim paullo ante bellum Trojanum, poſt tempora Cadmi Thebanorum Ducis, floruit: noſtra autem civitas, ut Leonardo placet, ab Ocno Etruſcorum principe, ſupra CCC ante Romam annum condita eſt. Vetuſtiſſima igitur inter Italiæ civitates Mantua eſt, ſive a Tuſco, ſive a Thebano ſauguine profecta. Neque enim poſterior Adria civitate antiquiſſima Etruſcorum Colonia fuit, a qua Adriaticum mare appellatum eſt; ante vero Patavinam (1) urbem anno circiter CCC, ante Mediolanum CCCCLX, ante Cremonam & Placentiam ſupra octingenteſimum fuiſſe idem Aretinus teſtatur. De cujus initio pauca hæc dixiſſe, neque vobis ingratum, neque ab hoc noſtro ſermone alienum putavimus. Habes igitur totum, o Raymunde, Victorinum, quantum ego memoria colligere potui: quanquam etiam multa prætermiſſa a nobis arbitror; ego enim multos ante ejus mortem annos abfui, Principem noſtrum ſequutus, eo præſertim bello, quod ſuſceptum contra Venetos diximus. Quo tandem confecto, quum jam pubeſcere, o Alexander, cœpiſſes, & perpetuam cum præceptore vitam ageres, nihil te de hujus hominis integritate, ac ſapientia latere potuit. Quare quod initio ſermonis noſtri rogatus ſum, ut pro te dicerem, modo beneficium redde, ut pro me dicas quicquid eſt aut a nobis prætermiſſum, aut parum diligenter explicatum, aut inepte dictum: quod tu, ſi modo gratus eſſe voles aut in me, qui pro te dixi, aut in ipſum, cui tanta debes, Victorinum, non negabis.

Alex. Nihil, o Franciſce, video cur ad hanc rem

(1) *Ante Romam* habet ipſa Aretini epiſtola in editione Florentina T. II. p. 223.

rem novo labore indigeamus: ita diſerte, ita copioſe, ita diſtincte ſingula Victorini dicta factaque commemoraſti, ut illum a mortuis excitatum ac pene vivum nobis oſtenderis.

Raym. Ita eſt, o Alexander: atque ego tantam in audiendo voluptatem cœpi, ut nihil mea ſententia aut hoc ſermone dulcius, aut ipſo Victorino majus admirabiliuſque ſuſpicari poſſim; quem unum noſtra ætate doctiſſimum, ſapientiſſimum, innocentiſſimum, hoc præſertim veſtro teſtimonio confirmatus, dicere audebo. Atque hoc tam inſigni beneficio motus, cujus incredibili quodam deſiderio tenebar, quum utrique veſtrum gratias, ut par eſt, agere inſtituiſſem; ſubdubitari a nobis cœptum eſt, utrum majores ac cumulatiores debeantur tibi, o Franciſce, qui dixiſti, an huic Principi noſtro, qui te ad dicendum mea cauſſa impulit. Illud etiam in mentem veniſſe fateor, nihil mihi a vobis non deberi, qui ad rem pulcherrimam atque honeſtiſſimam incitati eſtis, ut hunc ipſum Virum optime de vobis meritum, nec antea poſteritati traditum, non ſine magna tantorum diſcipulorum negligentia, meo ſtudio, meiſque precibus in lucem ſuſcitaretis. Verum, ut hanc noſtram dubitationem ſine controverſia dirimamus; quanquam in eam fere diſceptationem duci poſſet, quæ eſt a Poggio Florentino deducta de invitante, atque invitato ad convivium, maximas tamen gratias vobis, & quantæ cuique veſtrum debentur, agimus: nam quid nobis debeatis, facile pro veſtra ſapientia judicaturi eſtis.

Franc. Cur non potius, o Viri, quemadmodum mercatores, commutatis inter ſe mercibus, ita & ipſi, datis, acceptiſque inter nos, liberaliſſime compenſati, alter alteri cedimus?

Raym. Fiat; ne diutius de hiſce rebus altercantes, aut repetere beneficia videamur, aut non liben-

benter confiteri; quorum alterum avari eſt, alterum ingrati.

Alex. Immo ſane fiat; nam hæc ipſa ſine lite compenſatio magna liberalis animi ſignificatio eſt. Surgamus igitur, & ab hoc tandem ſermone quieſcamus.

FINIS.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Gio. Tommaſo Maſcheroni*, Inquiſitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *De vita Victorini Feltrenſis Dialogus Franciſci Prendilaqua Mantuani ex codice Vaticano* &c. M. S. non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovanni Manfrè*, Stampator *di Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 26. *Luglio* 1774.

(*Andrea Querini Rif.*
(*Girolamo Grimani Rif.*
(*Sebaſtian Foſcarini Cav. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte *166.* al Num. 100.

Davidde Marcheſini Segr.

ALMA MMS IDs:
1 99113062960001021
2 99113062840001021
3 99137733155801021
4 99137733154101021
5 99137733154101021
6 99137733273501021
7 99137733149801021
8 99137733149401021

Aleph 2177898
05-37365